V-5-16 d. 4

Δ.B VI.

V-5-16

LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS

FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZZELADA DI BELREGUARDO
PURCHASED 1921

271.76
R 735d

Rare Book & Special
Collections Library

Operis Auctor eſt Bartholomeus Rubeus, idem
qui vitam S. Caroli ex Glussiano latine reddidit
editam Medi.^li an. 1751.

DE ORIGINE, ET PROGRESSU CONGREGATIONIS OBLATORUM SANCTORUM AMBROSII, ET CAROLI MEDIOLANI.

Ab anno Congregationis conditæ MDLXXVIII.
Uſque ad annum MDCCXXXVII.

Petrus Antonius Frigerius Galiardi, & Navæ Typographorum Alumnus
IMPRESSIT MEDIOLANI ANNO MDCCXXXIX.
Superiorum permiſsu.

Est Conv.tus SS. Cosmæ et Damiani Medlni
F.F. Erem.um Discal.um S. P. Augustini:

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/deorigineetprogr00cava

271.76
R735d

PRÆFATIO.

TErtius jam agitur annus, ex quo dimiſſa Canturienſis Eccleſiæ Præfectura in Rhaudenſe Collegium Archiepiſcopi clementia, & Sodalium meorum benignitate receptus cogitare mecum ipſe cœperam quo præſertim ſtudiorum genere ſimul lenirem ſolitudinem Loci, & intolerabilem illum honeſtis viris nihil agendi laborem effugerem. Difficile ſane conſilium erat, cum neque aliquid omnium oculis dignum moliri per ingenii, corporiſque vires liceret, & eam lectitandi curam, quæ in fallendis horis tota verſatur, nihil ab otio differre judicarem. Hæc meditanti media quædam via ſe obtulit, ut neque me publicis rebus immiſcerem, neque tenues haſce vitæ meæ reliquias abſque ulla prorſus utilitate tranſigerem, quorum alterum ſegnitiæ culpam argueret, alterum temeritatis. Optime noveram nonnullos eorum, qui mecum iiſdem legibus utuntur veluti domi ſuæ hoſpites eſſe, atque in incœpto itinere ſtrenue procedentes nunquam retro vertiſſe oculos ad cognoſcenda initia, progreſſuſque rerum, quas tamen in conſpectu habeant, & omni ſtudio curandas ſuſcepere. Videbam interim in omni fere ſacrorum hominum Societate Scriptores extitiſſe, qui primordia Ordinis ſui, reſque in eo laudabiliter geſtas poſterorum memoriæ commendarent, ut proinde haud abſurdum putarem eorum diligentiam, magno quamquam interjecto diſcrimine,

imitari. Nam illi quidem diffuſa ingentibus terrarum, ac temporum ſpatiis monumenta repetentes ſuorum Ordinum celebritatem ſcriptis ampliſſimis æquavere, mihi vero unius parvæ, nec antiquæ familiæ viciſſitudines proſequenti pauca admodum memoranda remanebant ne oblivione ipſa pauciora fierent. Sed cum hoc animo, atque conſilio me ad ſcribendum contuliſſem, atque adeo vetuſtiora Sodalitii tabularia conſulerem, prope fuit ut me hujus diligentiæ meæ, meique conſilii pœniteret. Nam cum Sodalium nomina ſuis quæque temporibus deſcripta recenſerem, adeo nulla morum, & vitæ commemoratio erat, ut in tanta diſparitate hominum nemo unus alteri diſpar rerum geſtarum genere videretur. Ingrati profecto fuimus (detur hic veritati honos) ingrati, inquam, fuimus erga merita eorum, qui hanc qualemcumque nominis dignitatem, in qua hodie ſtamus, ſuis virtutibus peperere. Me ſane pudebat hanc annalium nuditatem detegere, quæ, nos magno utrinque dedecore, aut illuſtrium exemplorum inopes fuiſſe, aut immemores teſtaretur. Illud ſolatium pudoris erat, quod multa prioris ævi decora exterorum ſcriptis intermixta apparebant, nonnulla vero proximiora temporibus noſtris tam multi mecum viderant, ut nullis literarum teſtimoniis indigerent. Alia gravior angebat cura, quod præcipuæ dignitatis Viri, quanquam tecti infulis, & ampliſſimis velati honorum inſignibus abſque laudum ſuarum comitatu prodire cogerentur, idque inter eos, a quibus Socii, & Fratres appellantur.

Eorum

Eorum tamen memoriam arrepta undecunque occaſione intermiſcere cæteris volui, ne, ſicut rerum geſtarum, ita obliti etiam nominum videremur. Fecit equidem hæc ſive parcitas, ſive oblivio rerum, ut, quod ſcribenti facilius erat, temporum ordinem ſequi non poſſem, ne tot vacua ſcilicet annorum ſpatia tanta cum narrationis deformitate tranſmitterem, aut levia dictu cum legentium faſtidio tot lacunis explendis ingererem. Non eſt autem cur eos, ad quos literæ iſtæ pervenerint, de mea in ſcribendo fide præmoneam, cujus adeo ſtudioſus fui, ut, quamquam ipſe in partibus ſtarem, ſi quæ tamen vitio non carere judicavi abſque ulla tergiverſatione depromerem. Sed neque alia prævertendis accuſationibus uſitata præfari neceſſe habeo, cum hanc ſcribendi curam ad Sodales tantummodo meos referri profitear, quibus non aliquam ingenii mei, ſed rerum ſuarum dignitatem oſtendere totius operis ſumma erat. Quid ergo neceſſe fuit inanibus verbis errorum veniam precari, ac literarum vitium alia velati culpa emendare quaſi fratrum meorum humanitati diffiderem? Deſcripta inordinate nonnulla, ineleganter omnia dixerint, nihil moror, ſi modo nihil a veritate alienum inveniant. Ad illa pro ſe quiſque intendat animum quæ mens Conditoris noſtri, quæ geſta Majorum, qui mores fuerint, quid Mediolanenſis Eccleſiæ, atque hoc ipſum Oblatorum nomen a nobis expectet. Adverſos etiam caſus agnoſcere, & proxima excidio pericula, quibus aliquando jactati ſumus, haud inutile futurum legentibus arbitror, ſi quidem verum eſt, neminem firmius ſtare, quam eos, qui labi ſe poſſe intelligant.

Sane,

Sane, cum hoc ipſo tempore parum æquos de nobis ſermones otioſorum fortaſſe hominum culpa in vulgus ire accepiſſem, pauca quædam de dignitate, & utilitate rerum noſtrarum hiſtoriæ attexere officii mei eſſe duxi, ſi qua forte ratione malignam illam obtrectandi voluptatem, aut temere gliſcentis invidiæ ſemina præfocarem. Sed, quidquid illa diſſertatio mea momenti habeat, optime ſcio maledicorum dicteria nulla re melius quam contemnendo, & recte agendo confutari. Itaque Conſodales meos oro, obteſtorque, ut totius cauſæ patrocinium in ſemetipſos recipiant, &, quod enixe faciunt, accepta a Majoribus decora majore ſemper ſapientiæ ſtudio, & vitæ honeſtate defendant.

PROTESTATIO AUCTORIS.

SCito Lector elogia ſanctitatis, quæ in hoc libello aliquibus tribuuntur, nullà S. R. Eccleſiæ auctoritate fulciri, ſed ea tantum fide digna eſſe, quam privata piorum hominum, aut ſcripturarum teſtimonia promerentur.

Die 19. Februarii 1739.

IMPRIMATUR.

F. Jo: Dominicus Liboni Inquiſitor Generalis Mediol.

Jo: Antonius Viſmara Obl. Pœnit. Major pro Eminentiſs., ac Reverendiſs. Card. Archiep.

Carlius pro Excellentiſs. Senatu.

INDEX

CAPITUM.

DE Origine, ſive Inſtitutione Congregationis. Cap. I. pag. 1

De primis Oblatis, & rebus eorum geſtis. Cap. II. pag. 21

De Collegiis Oblatorum adminiſtrationi traditis, & primum de Seminario Clericorum. Cap. III. pag. 51

De Collegio Helvetiorum. Cap. IV. pag. 76

De Collegiis Nobilium, ac primum de Collegio Ticinenſi. Cap. V. pag. 99

De Collegio Nobilium Mediolani. Cap. VI. pag. 109

De Collegio Rhaudenſi. Cap. VII. pag. 116

Ad Collegium Rhaudenſe Appendix. pag. 140

De Bibliotheca Ambroſiana. Cap. VIII. pag 146

De Collegio Aſconenſi. Cap. IX. pag. 163

De Collegio, ſive Domicilio Gorlæ Minoris. Cap. X. pag. 170

De Dignitate, & Utilitate Congregationis. Caput Ultimum. pag. 177

De Origine, ſive Inſtitutione Congregationis.

CAP. I.

SAncti Caroli Borromæi Cardinalis Archiepiſcopi Mediolanenſis res præclare geſtas Viri graviſſimi tam diſerte, ac fideliter literis tradiderunt, ut nihil denique poſteritati reliquerint, quod luculentius explicari, confirmarique oporteret. Ampliſſimam hanc ſcribendi materiem præripuere cæteris Jo: Petrùs Gluſſianus, cui non modo Caroli vita inſpecta oculis erat, verum & ipſe poſt mortem videndum ſe ſe præbuiſſe ſertur, & Carolus alter a Baſilica Petri Epiſcopus Novarienſis, & noviſſime, ut alios omittam, Joſeph Ripamontius ubertate, & elegantia latini ſermonis Hiſtoricorum Patriæ ſuæ facile princeps. Et tantæ quidem pietatis exemplar exteris tradi operæ pretium erat,

ex quo nimirum & recte vivendi inſtituta, & optime adminiſtrandi Pontificatus documenta decerperent. Civibus vero noſtris vix illa Scriptorum copia opus erat, niſi clariſſimarum Urbium, immo & Regnorum excidia teſtarentur humanarum rerum gloriam ſine literis immortalem eſſe non poſſe. Privata enim officia, quibus animus ad religionem excolitur ex aliorum quidem teſtimoniis accepimus, monumenta vero virtutum earum, quibus publica ſalus, & Principum gloria præcipue conſtat, ita ſunt oculis expoſita, ut, etiam ſilente hiſtoria, hominum memoriam effugere non poſsint. Extant annalium loco templorum excelſæ moles, ſacrarum Virginum domicilia, Collegia juvenum, obſcura Provinciæ loca nobilitata beneficiis, aliaque innumera, quorum aſpectu elegantius, quam omni verborum apparatu Illuſtrium Virorum vita deſcribitur.

Ex plurimis autem, ampliſsimiſque beneficiis, quæ a Carolo accepimus, nullum ego præſtantius dixerim, quam religioſorum hominum Sodalitia in Urbem inducta, qui morum ſanctimoniam, & vix renatam ſacrarum rerum dignitatem perenni ſtudio confoverent. Præmiſerat Ille, cum adhuc Romæ moraretur, delectos aliquot e Societate Jeſu viros, qui ſcelerum pœnitentiam, amoremque virtutis, inaudita pene iis temporibus nomina prædicare inciperent, eorumque operam feliciter expertus ejus auxilii perpetuo retinendi conſilium cœperat. Itaque Mediolanum reverſus, ubi primum deſtinata exequendi occaſio ſe obtulit, accitis ex ea Societate Patribus Braidenſes ædes, mox D. Fi-

delis

delis Templum attribuit, magna inpoſterum doctrinæ, ac pietatis domicilia, ex quibus afflictæ, ac prope deperditæ Civitati ſubſidia peterentur. Haud abſimili deſiderio clariſsimos Viros arceſſere ſtatuit, quos ex Teate Archiepiſcopo Petro Caraffa Inſtitutore Ordinis, qui poſtea Pontificatum maximum tenuit, communi vocabulo Teatinos appellamus. Hos quoque Romæ cum eſſet ſæpius inviſere ſolitus erat, eorumque colloquia ad curarum ſolatium exquirere, facili ſcilicet ſocietatis amore inter eos, quos antea virtutum ſimilitudo conjunxerit. Mediolanum igitur evocatos anguſto primum hoſpitio excepit, cumque non poſſidendi modo, verumetiam petendi facultate prohiberentur, ſumptibus ſuis aliquandiu aluit, donec in ampliorem locum traducti, effuſaque virtutum fama, Divinæ Providentiæ, qua præcipue nituntur, paratam in Civium largitionibus opem invenere. Adeo nimirum corrupta erant omnia, ut, quamvis permulta clariſſimi nominis Cœnobia in Urbe eſſent, neceſse tamen fuerit reſtituendæ religioni, depellendiſque vitiis ſubſidiarias haſce copias ab exteris advocari.

Sed, cum ejuſmodi Viros ab domiciliis ſuis diutius abeſſe ſive Inſtituti ratio, ſive multiplices ipſorum curæ non ſinerent, expeditiorem aliam Sacerdotum manum ſibi parare eſt aggreſſus, quorum opera ad omnes ſimul Urbis, ac Provinciæ neceſſitates uteretur. Stimulabant aſſidue animum jam ad confinia Diœceſis diffuſa hæreſum lues, loca alia ſacris identidem deſtituta Paſtoribus, agrorum, ac montium inco-

læ inter inſcitiæ, vitiorumque miſerias relicti, & , cum tanta Sacerdotum, vel certe in ipſis Sacerdotibus virtutum inopia eſſet, ægre tot malis mederi ſe poſſe animadverterat niſi reperirentur, qui promptum ad omnia mandata obſequium exhiberent. Itaque, cum ex ipſa conſilii ſanctitate ſpem ſibi certam Divini auxilii faceret, notare primum idoneos homines cœpit, mox locum exquirere in quo cohortem illam apte ad Populi utilitatem collocaret. Ædes eſt in media fere Urbe, quam Rocius Corteſella Civium unus, admiratione, & pietate erga ſanctiſsimam Chriſti necem, Dominici Sepulcri titulo ornaverat. Nec modo loci opportunitas, ſed multa alia erant, quæ ad hanc ſedem eligendam Cardinalis animum invitarent. Antiqua illic fuerant pietatis, & innocentiæ receptacula, locisque pene omnibus expulſa religio in Ædem illam velut in arcem quamdam confugerat. Anno ſal. centeſimo ſupra milleſimum Anſelmus Urbis noſtræ Archiepiſcopus Ædem dedicaverat, juſſeratque Metropolitani Collegii Sacerdotes convenire illuc, ac rite concelebrare anniverſarium Dedicationis diem, quem ſibi, Populoque ſuo glorioſum, lætiſsimumque appellabat. Id ita factum teſtantur publicæ tabulæ per Franciſcum Badagium receptæ, donaque alia, & privilegia ab Anſelmo conceſſa iiſdem literis numerantur, quorum uſum interiiſſe nemo mirari debet inter poſteriorum temporum calamitates, quibus Urbs ipſa pene interiit. Magno certe in honore Ædes ipſa ſemper apud Mediolanenſes fuit ob expoſita ibi ſimulacra

Ripam. hiſt. patriæ lib. VII.

cra

cra Myſteriorum, quibus humani generis ſalus ſtetit, tum ob memoriam clariſſimorum Civium, qui ad Hieroſolymitanum bellum profecti poſt militares palmas tam pium animi ſenſum erga Divini Liberatoris Sepulcrum in Patriam retuliſſent. Poſt Monachos, Canonicoſque, quos aliquando inibi moratos invenio, ſucceſſerant illuc ſpectatæ aliquot prudentiæ Sacerdotes, cumque ſacra omnia in deterius ire animadverterent, conjunctis animi viribus Chriſtianæ legis reliquias, & collapſæ diſciplinæ ſpeciem aliquam retinere in Urbe conabantur. Inſtituta illis erant non ullo auctore deſcripta, ſed quæ ſua unicuique pietas ſuggerebat, indoctos erudire, ægrotos inviſere, perditos ad ſalutem revocare, &, quæ præcipua ſuadendi ars eſt, ſanctioris vitæ, quam cæteris proponerent, exempla in ſemetipſis exprimere. Atque hæc in cauſa Carolo fuerunt cur in ea potiſſimum tecta oculos verteret, id Sodalitii caput eſſe, inde mandata accipi juſſerit, ratus videlicet dignitatem ipſam loci multum auxilii ad virtutes proſequendas, quarum ibi tot veſtigia cernerent, ſucceſſorum animis allaturam.

Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo, ad XVII. Calendas Septembris, qui dies S. Simpliciano Mediolani Archiepiſcopo ſacer eſt, Candidatorum Cœtus ſolemni ritu initiatus inibi ſtetit, & quod Ambroſianæ Eccleſiæ perpetuo juvandæ ſponte ſe offerrent S. Ambroſii Oblatis inditum nomen. Tantus deinde Caroli amor erga Oblatos fuit, ut non tam Eccleſiæ præſidia, quam delicias ſuas in ipſis collocaſſe videretur.

Gluſſi in. in ejus vita lib. V.

deretur. Cellulam apud eos ſibi ſervaverat, in qua dignitatis ſplendore depoſito, velut inter æquales verſari conſueverat, niſi quod ipſa in tantis honoribus humilitas ſplendorem alium dignitati afferebat. Communi utique victu contentus colloquiorum, ſtudiorumque omnium comes erat, erga omnes benignus, ac facilis, nihil denique cæteris niſi Patris titulo, & amore diſſimilis. Si quis vero in morbum incideret miniſter ultro, & conſolator Ipſe aderat ea ſermonis, atque oris ſuavitate, quæ languentium animis remedii loco eſſe poſſet.

Petrum Stoppanum ex Sodalibus unum diuturna ſebris, atque ex ea tabes invaſerat, alteque inſidens venis curam omnem, & peritiſſimos quoſque Medicorum eluſerat. Jamque afflictis viribus, ipſiſque vitæ alimentis in morbi materiem abeuntibus, nihil niſi mors expectabatur, cujus ſcilicet imaginem pallor ipſe oris, & fœda corporis macies præſeferret. Vixdum cognita re, adſtitit illico laboranti Archiepiſcopus diu, noctuque lectulo aſſidens, & ſollicitudine illa teſtatus quanti æſtimari vel unius optimi Sacerdotis vitam oporteat. Sed, cum humana ſubſidia nihil prodeſſe animadverteret, ad cœleſtia converſus non antea precibus, lacrymiſque finem impoſuit, quam æger receptis repente viribus præter omnem naturæ rationem convaleſceret. Id vero nonniſi divinitus factum jurejurando affirmavere Ludovicus Septalius, ac Jo: Baptiſta Silvaticus medendi arte excellentes Viri, ita præſertim reſtituta Stoppani valetudine, ut ſacras deinde Præfecturas ſuſcipere, ac diu gerere potuerit.

His

His, atque aliis benevolentiæ teſtimoniis cum ſingulorum firmaſſet animos, cœptis ſubinde addere Summi Pontificis auctoritatem quærebat, ex qua & major Ordini dignitas, & perpetuum robur accederet. Gregorius XIII. univerſæ Eccleſiæ eo tempore præerat, Iſque, perſpecta Inſtituti utilitate, non modo ratum, ſanctumque habuit, verumetiam vectigalibus auxit, ne magnarum rerum inimica paupertas tam honeſti conatus initia interciperet. Cœleſtia inſuper dona reditibus addidit, depromptis ex Pontificiæ Poteſtatis ſinu theſauris, quibus ad munia ſtrenue obeunda, quæ ſumerent, piorum hominum animi excitarentur. Nam & iis qui Sacramenta miniſtrarent, ſuſciperentve, & Divini Verbi prædicatione, alioque religionis officio perfunctis Apoſtolicæ Indulgentiæ munera perpetuum duratura ita conceſſit, ut nulla pene Oblatorum actio præterire poſſit ſine aliqua pœnarum venia, quibus neceſſe ſit humanæ vitæ maculas expiari.

Sed alia denique cura Caroli animo inceſſerat, eaque fortaſſe gravior omnibus, quas antea memoravi. Noverat Ille, ſicuti nervis viventium corpora, ita Societates hominum legibus coaleſcere, atque adeo perſpecta rei gravitate ſedulo cogitabat, quibus præſertim inſtitutis cariſſimam ſibi Familiam efformaret. Neque ad ejuſmodi ſtudia ingenium deerat, legeſque ipſas ſecum ipſe excogitaverat quales plane ab Sanctiſſimo Viro expectari oportebat, & qui omnes cuperet eſſe ſanctiſſimos. Sed nondum erat opinione ſua contentus, ſeu deſiderium ejus nulla ſatis ſollicitudo explebat,

ſeu

ſeu magnis animis hæc eſt indita moderatio, ut ſibi diffidant, ſemperque ſe putent alienis conſiliis indigere. Itaque ad Urbem profectus Philippum Nerium ſanctitatis fama apud Romanos florentem enixe rogabat, ne Ordinis ab ſe conditi inſtitutiones, quas nempe deſcriptas offerret, inſpicere gravaretur, ac, ſi quæ inutilia, incerta, minus denique apta occurrerent, ea qua pollebat prudentia immutaret. Ille enimvero detrectare onus, excuſare infirmitatem ingenii, familiæ curas objicere, omnia denique rogantis officia per innoxias verborum ambages eludere. At ubi fruſtra ſe obniti, ſpemque omnem effugii intercluſam animadvertit, notum ſibi ait hominem unum, cui tuto committi examen illud poſſit, pollicetur que ſuam ipſe operam, ne difficultate aliqua res iterum ſuſpenſa remaneret. Conditione accepta, conſtitutoque tempore, itum ad Capucinos eſt. Expectabat inibi Carolus ex primoribus Ordinis aliquem advocari literarum ſcientia, & ſacrarum rerum uſu præſtantiſſimum, qualem videlicet eum eſſe oportebat, qui citra temeritatis notam tam eximio operi demere aliquid, vel addere poſſet, atque Apellis, ut ajunt, tabulæ manum apponere: Cum ecce, petente ita Nerio, Frater ex familia quidam nomine Felix ex triclinio fortaſſe, aut hortis vocatur, ille quidem cum in paterna domo ageret agrorum cultor, mox cucullo ſuſcepto vitæ ſubſidia oſtiatim conquirere edoctus, quibus ſeveriores S. Franciſci aſſeclas alere Chriſtianorum pietas ſolet. Compertum Philippo erat quæ Viri virtutes eſſent, quanta illi cum Superis familiaritas,

liaritas, quæ demum Divinæ ſapientiæ lumina ſub illa obſcuritatis ſpecie tegerentur. Eum igitur de totius operis ſumma paucis edoctum percurrere Cardinalis ſcripta diligenter jubet, & ſi quid contra ſentiat abſq; ullo metu, vel cunctatione depromere. Quæ, cum ſcribendi, legendique ignaro dicerentur, abſurda prorſus, aut ludicra videri poterant, & erant plane ea, quibus Divina Bonitas in humanis rebus ſapientiſſime ludit. Nam ut ſerio agi perſenſit Felix, tantorum hominum majeſtate, &, quo præcipue tenebatur, parendi amore compulſus impoſitum ſibi onus prompte ſuſcepit, arreptoque inde calamo expunxiſſe decreti verba dicitur, quo Carolus Oblatorum ſingulos perpetuæ paupertatis vinculo obſtringi voluiſſet. Hæc, ut tradita ſunt, ita referre volui, non ambitione aliqua, vel ſcribendi libidine, verum ut appareat quo in pretio habendæ leges ſint Triumviratu illo comprobatæ, atque editæ, quo nihil in terris illuſtrius ea tempora haberent. Conſtat enim ſingulos eorum, quorum hic nomina memoravi, ob celebrem vitæ innocentiam, & crebra miracula Cœlitum numero adſcriptos.

Tertio poſt Congregationem conditam anno prodiere Oblatorum inſtitutiones, quas denique Parens Optimus tanto ſtudio, ac labore confecerat. Quæ an ita ſint, ex præfatione ipſa colligere poſſumus, qua ad decreta exequenda ſingulos hortatus, ea cum lectiſſimis Viris collata affirmat, aſſiduis precibus, & diuturno etiam fletu a Deo expetita, magna ſane obſequii argumenta ſi cogitare quis velit quanti æſtimari tanti

Viri lacrymas deceat. Hæc inſuper decreta cujuſmodi fuerint hoc loco referre inutilis labor fuerit, quippe cum typis edita non obtutibus modo noſtris, verum etiam exterorum oculis pateant. Summa hæc erat: Nemo in Oblatorum numerum reciperetur, niſi qui ingenio, & pietate præcelleret. His præditi dotibus ad exequenda Mediolanenſis Archiepiſcopi mandata ſimplici voto ſe obſtringerent, cujus propterea voluntati obſiſtere ſacrilegum eſſet. Si paupertatem obedientiæ adjungere voto eodem vellent, id laudabile fore, minime tamen neceſſarium. Reputarent identidem perſerenda ſibi concionandi, docendique incommoda, ſuſcipiendas in ardua loca expeditiones, ſuſtinenda denique omnia, quæ ad ſalutem animarum, & Divini Nominis gloriam pertinerent. Salutaria deinde documenta legibus addebantur, Chriſti exempla, ſententiæque Patrum, quibus inſiſtere illorum vitam oportet, qui alienæ vitæ duces, ac Magiſtri eſſe debeant.

Porro cum unius generis homines ad longe diverſa officia deſtinaret, ſua quoque præcepta ſingulis muneribus, ac locis aptabat, pulcherrima quadam ad virtutis ſimilitudinem varietate. Etiam ad curam animarum, ſeu quælibet alia Sacerdotia dimiſſis impoſitæ leges, ne inhoneſtius, quam pro nominis dignitate, aut negligentius agerent. Conventus quotannis in orbem indicitur, quem ſinguli Oblatorum illius regionis adeant, acturi de morum diſciplina, & emendatione, ſi quæ fortaſſe oblivio mandatorum irrepſerit. Tridui ſpatium in eam curam impendunt non ſuo tantum,

ſed

ſed etiam publico proventu. Nam poſt pia colloquia, & ſecretas de rebus ſuis conſultationes confluentem undique incolarum multitudinem crebris concionibus ad diluenda præteritæ vitæ crimina invitant, pro quibus eo tempore ampliorem abſolvendi poteſtatem accipiunt. Hæc vero initia fuere, ſeu potius fundamenta operis, cujus explendi gloria Borromæo alteri ſervabatur, qui poſtea Caroli ſucceſſor, idemque virtutum imitator fuit. Carolus etenim animorum ornamenta, & religionis ſtudia complexus, quibus privata ſanctitas, & publica utilitas maxime conſtat, reliqua in aliud tempus rejecerat, ultimam certe manum operi additurus niſi immatura mors ſalubriter deſtinatis interveniſſet. Federicus itaque Cardinalis, & Caroli Patruelis, cum, ſublato e vivis Gaſpare Vicecomite, Mediolanenſis Eccleſiæ regimen ſuſcepiſſet, Apoſtolico prius impetrato diplomate, quo ſibi hæc ipſa ſanciendi poteſtas fieret, ab Conditore Optimo tradita in primis ſervari juſſit, mox alia ipſe ſubnexuit, queis hodie domeſticæ rei adminiſtratio, & omnis exterior diſciplina nititur. Ita divino fortaſſe nutu evênit, ut rem ſanctiſſimorum Hominum, ſicut antea diximus, conſiliis inchoatam Præſul iſte perficeret, quem ſin minus Eccleſiæ ritus, & Romanæ Sedis auctoritas, communis certe fama, & Populorum conſenſus inter Superos retuliſſet.

Jam vero nihil Oblatis deerat præter celebritatem illam, famamq; nominis, quam nemo ſine virtute conſequitur. Quamquam enim a Carolo diligi magna apud homines commendatio erat, pars tamen altera rema-

nebat, ne immerito diligi viderentur. Cujus quidem initia famæ S. Sepulcri Ædes tulit, vere nomine ſuo digna, & ſaluberrimi horroris cuſtos, quem Dominicæ Mortis memoria offundere mortalium animis ſolet. Conſtituta ibi Religionis præſidia fere omnia, concionandi ſtudium, ſacramentorum uſus, crebra de ſacris rebus colloquia, tot denique remedia quot antea morbos animorum ſæculi calamitas, & vitiorum amor invexerat. Inter cætera vero mala, quæ tum in Urbe graſſabantur, nihil funeſtius erat ignorantia, & oblivione rerum, quibus humana conditio in ſpem æternæ felicitatis attollitur. Cum enim immortalis gloriæ præmia legum obſequiis, & myſteriorum reverentiæ promiſſa ſint, ſatis apparebat viam omnem ſalutis hominibus interclusam, qui neque obtemperare legibus poſſent, quas minime noverant, neque revereri myſteria, quæ neſcirent. Huic malo ut occurreret Carolus, ſcholas in Urbe, atque omni Provinciæ parte collocaverat, quo ad perdiſcenda Chriſtianæ Doctrinæ elementa ætas omnis, & ſexus uterque conveniret. Eo plane inſtituto renaſci Populorum diſciplina cœperat, ſua ſacris diebus reſtituta majeſtas erat, & dicata olim aleis, ganeiſque tempora in Divinæ Fidei cultum, & incrementa tranſibant. Sacerdos deinde ex Oblatorum familia deligitur, qui pro tradita ſibi in Diœceſim univerſam auctoritate cuncta diligenter inſpiciat, caveatque ne res tot laboribus, ſtudiiſque conſtituta aliquid detrimenti capiat.

Sodalitiis etiam, quæ in Dominicæ Crucis obſequium Auctor idem erexerat, Rectores, Duceſque familia

milia eadem dedit. Ad viarum capita, ubi nunc triumphale Chriſti vexillum columnarum faſtigiis inſidet, graſſante peſtilentia ſolutiles aræ ſteterant, ut, ſublato in publicum egreſſu, e ſuis quiſque domibus Divinæ Rei quæ inibi fieret, fructum percipere, & recreari myſteriorum aſpectu poſſet. Amotis deinde altaribus, & reſtituta aeris ſalubritate, Cruces in altum erectæ, perſpicua ſcilicet monumenta ſive Divini erga homines amoris, ſive calamitatis, & ſuppliciorum, quæ tanti amoris immemores nuper afflixerant. Et mirum dictu eſt quantum Populi pietas invento illo profecerit. Sub noctis initia Societates hominum in idipſum addictæ ad implorandam Numinis opem eo conveniunt; & omnia fere Provinciæ loca ritum eundem accepere, cujus amplificandi, tuendique cura in S. Sepulcri Domum incumbit.

Nec ſegnius interim in eadem Domo res agitur Ædiculæ illic, & ſacella, & ſubterranei quoque receſſus plena omnia ſalutaribus inſtitutis, ſuperante propemodum Loci anguſtias multitudine beneficiorum, quæ inde in homines manant. Et pudor ſane virorum fuerit ab iis ſegniter anguſtiis refugere, quas pietatis amor delicatis quoque mulierum ingeniis diſplicere non ſinit. Matronæ ex omni parte Urbis ſexta qualibet feria in templo adſunt, expiatoque Divinis Myſteriis animo ad audienda ſanctioris vitæ præcepta in abditam ſub Templo Ædem deſcendunt, quaſi conſpectum hominum, & publicæ lucis deſiderium, quorum ſexus ille amantiſſimus eſt, caſtigare ſolitario conventu, iiſque latebris

velint.

velint. Et quamquam ipſa rei antiquitas ſatis ad famam erat, nunquam tamen fœminæ nobiles defuere, quæ ab inanibus curis ad religionis ſtudia converſæ celebre ſodalitii nomen in Urbe facerent. Cornelia Lampugnana inter eas fuit, nota prius ſplendore generis, mox decus aliud ſuis moribus aſſecuta, ut familiæ nobilitas pars ultima gloriæ fieret, quæ nominis ejus memoriam ſequitur. Pueritiam egreſſa Franciſco Rhaudio nupſerat equeſtris ordinis viro, eaque in omnibus dederat prudentiæ argumenta, ut graviſſimis etiam viris exemplo eſſe poſſet. Diſtinctæ auro veſtes, & gemmarum fulgor, ſpecioſaque alia pudicitiæ pericula procul abſceſſerant, & ſi quando mariti juſſu choræas adire cum æqualibus cogeretur, occulta quædam tormentorum ingenia excogitaverat, ut inter illa luxuriæ irritamenta doloris acerbitas verecundiæ, pietatique conſuleret. Orbata deinde Viro, neque conſanguineorum precibus, neque matris conſilio adduci potuit, ut, florente adhuc ætate, & incorrupta oris elegantia, nuptias iteraret; quin mariti jacturam hoc ipſo ſolabatur, quod conjugii vinculis expedita arctius Deo ſe obſtringere jam poſſet. Itaque cum Marco Aurelio Grattarolæ, mox Jo: Stephano Bigatto Oblatorum Præpoſitis ſe ſe in diſciplinam tradidiſſet, eas ſibi vivendi leges præſcripſit, quæ incredibiles ſane videri debeant, niſi abſurdum eſſet Divinæ gratiæ vim ex humanis viribus dimetiri. Laborum certe, immo & injuriarum patientia, & deliciarum contemptus, & effuſa in pauperes liberalitas minima ſanctitatis experimenta erant: ſupplicia

Hippolitus Porrus in ejus vita.

morti

morti proxima quærebantur, quæ vel peccandi licentiam corpori adimerent, vel præteritorum criminum opinionem verius, quam maculas expiarent. Extant adhuc catenulæ ferreæ, & cingula aculeis intexta, quibus innocentiſſima mulier nuda latera vincire conſueverat, quæ oblita ſexus, oblita corporis Rhætorum montes adire aliquando deſideravit, ut ſin minus Catholicæ Fidei incrementum aliquod, martyrii certe palmam inde referret. Sed ejus vitæ innocentiam nulla res magis, quam vitæ finis oſtendit. Nam & extremos anhelitus ſupernæ lucis oſtento illuſtratos accepimus, & nobilium fœminarum humeris elatum cadaver vix Civium manus evaſiſſe, qui indumentorum particulas, veluti certa ſalutis pignora certatim arriperent, & Principes viros ob crebra, quæ vulgabantur, miracula ad tumulum procubuiſſe, aliaque permulta, quæ ſi perſequi omnia velim, longius, quam par eſt, a propoſito diſceſſiſſe videat. Sed pauca iſta compendio notaſſe operæ pretium fuit, ut ætatis noſtræ matronis, quæ Inſtituto nomen dedere, ejuſdem gloriæ conſequendæ aut ſpes, aut cupiditas aliqua iniiceretur.

Cæterum, ut ſalubriter inſtituta felicius procederent, adfuit ipſe aliquando Carolus eorum, quæ agerentur Magiſter, & Judex. Oblatis indixerat, ut recurrente funeſta illa, & exitiali bacchanalium celebritate, inanibus oblectamentis, quorum nullus ex conſuetudine pudor eſt, cœleſtes delicias obiicerent, quas, niſi impietas ſenſum omnem ademerit, Divini Verbi prædicatio ſecum affert. Id ſuapte natura ſalutare conſilium

exemplo

exemplo ipſe firmabat, atque e ſuggeſtu ſublimis quamplurimos Civium ab ejus inſaniæ periculo revocaſſe traditur, cum & ipſe dicendi ardor vim quamdam afferret animis, & ſaltationum, epularumque voluptas præ tanti Oratoris ſuavitate vileſceret. Inde perpetua Loco conſuetudo manet, ut, perſtrepente bacchanalibus Urbe, ſermones ad Populum de ſacris rebus habeantur; quin etiam ex aliorum Ordinum Aſceteriis eloquentiſſimus quiſque ad dicendum evocatur, inito velut ingeniorum fœdere ad tuendas virtutes, quibus acrius eo tempore bellum imminet. Hæc tyrocinia fuere, quibus Parens Optimus novam hanc ſobolem educabat, cui deinde honores, laboreſque alios alia tempora attulere. Nam & pios Virorum conventus, qui ſub D. Magdalenæ auſpiciis inibi habentur, antiquior ætas tulerat, & Sodalitium aliud Federicus Borromæus Cardinalis poſteriori ævo inſtituit, in quo Eccleſiaſticæ militiæ adſcripti juvenes dignos paulatim Sacerdotii dignitate animos ſumerent. Alia quædam Societas hominum jam pridem auctore Jacobo Philippo Caſola in Urbe noſcitabatur in id potiſſimum inſtituta, ut memores ſuppliciorum, quibus poſt mortem dilui anteactæ vitæ culpas oportet, Divini judicii ſeveritatem volontario aliquo corporis cruciatu præverterent. Conveniendi locus ad D. Pelagiæ fuit, qua commeatus in Urbem Novocomenſi via venientibus patet. Ibi ſtatis diebus, poſtquam frequentes aderant, excolere ſacramentis animum, alternis pſallere choris, & diſtrictis ſæpe flagellis violatæ innocentiæ pœnas a ſe ipſis

Ex actis Congregationis.

ipſis expetere. Intervenere interim cauſæ, quæ inde excedendi, atque alterius quærendæ ſedis neceſſitatem afferrent. Bartholomæus Areſius, qui tum Senatui præerat, magno vir ingenio, apud Alphonſum Littam Mediolani Archiepiſcopum Orator fuit, ut in S. Sepulcri Ædes reciperentur. Ex eo tempore admiſſi ſalutaria documenta definitis per hebdomadam horis accipiunt, ſuoſque congreſſus agunt vetere inſtituto.

At, ne antiquis recentiora præponerem, binas alias Civium Societates in hanc literarum memoriam citius fortaſſe proferri par erat, quarum altera ab D. Philippi Nerii patrocinio, altera ab munere, & cura blaſphemos corrigendi nomen accepit. Hi poſtquam ſibi per conſueta religionis officia conſuluere, Chriſtianæ charitatis conſilia ſecuti curam omnem ſuam alienis neceſſitatibus impendunt. Alii in majore Noſocomio ægrotantibus benignam præſtare operam, ut ſimul mollius decumbant, & morborum incommoda levius ferant, circumire alii nota otioſorum diverticula, monitiſque, & terrore minarum coercere licentiam impiorum hominum, quibus Superos, ac Deum ipſum convitiis appetere nefarium impotentis iræ ſolatium eſt, ſeu potius æternæ deſperationis initium. Ætate demum noſtra, ubi hortus familiæ fuerat, Angelis humanæ vitæ cuſtodibus ſacellum excitabatur piorum aliquot hominum ſumptu, nec ſine magnificentia, quantam anguſtiæ loci capere poſſent. Apud Somaſchæ Patres in meditullio ferre Urbis hæc erga Cœleſtes nuntios religio colebatur cum, mutatis caſu aliquo rebus, aut animis, migravere in hanc

Ædem Sodales, ſe ſuaque omnia Oblatis tradentes, a quibus invicem loci, & Sacrorum commoda conventibus ſuis acciperent.

Neque ego interim ingratum fore legentibus arbitror ſi de alio Oblatorum genere pauca ſubjiciam, quos & Conditor idem, & ſimilitudo nominis, & ipſa denique ſtudiorum affinitas in hanc partem hiſtoriæ vocat. Iniquus certe alienæ virtuti fuero, niſi oſtendam quomodo innutriti familiaribus curis, negotiiſque forenſibus viri finitimam Sacerdotum honoribus gloriam aſſequantur. Cum de ſtatuenda Oblatorum Congregatione cogitaret Carolus, laicos quoque homines in eam recipi poſſe exiſtimavit, qui voti relicto vinculo, ſpontaneo tamen pietatis nexu ſe ſe Archiepiſcopi mandatis obſtringerent ad ea ſcilicet peragenda, quæ ſive privata ipſorum ſalus, ſive publica utilitas poſtularet. Id veluti alterius Ordinis pediſequum agmen iiſdem veſtigiis inſiſtere juſſit, & proximas Apoſtolico muneri occupare partes, prout cujuſque conditio, aut indoles ferret. Ægros inviſerent, pauperibus opem, aut ſolatium ferrent, jurgia, liteſque componerent, ita denique agerent, ut relicti in ſæculo ad tollenda ſæculi vitia viderentur. Præmia id agentibus Summi Pontificis auctoritate conceſſa, meritorum nempe omnium ſocietas, & æqualia fere Indulgentiæ dona cum Sacerdotibus, quibuſcum nomen commune habeant. Cogitationem hanc divinitus immiſſam facile credent, qui Ordinis incrementa, & utilitates inſpexerint. Primariæ Nobilitatis nomina, & Magiſtratuum Præſides, Quæſtoreſque

Inſtitut. lib. 1. cap. 2., & 3.

ſtoreſque inter antiquæ pietatis monumenta referuntur; & lectiſſimos e Senatu Viros noſtra ætas vidit, qui depoſita majeſtate, qua jura Gentibus dabant, Sodalitii decreta prompte exequerentur. Quæ quantum ad Populi diſciplinam momenti afferant nemo ignorat. Ut enim nunquam Procerum vitia, ita neque virtutes imitatoribus carent, inſita videlicet popularium animis ambitione quadam æmulandi ea, quæ fieri a potentioribus vident. Hinc inſuper homines alii omni tempore prodierunt, quorum nomina Magiſtratuum omnium titulis æquiparanda exiſtimem, ſi fateri velimus Reipublicæ felicitatem non tam ſeveritate legum, cauſarumque judiciis, quam religionis cultu, & morum ſanctitate ſuſtineri. Quattuor ſupra viginti ex eo, plerumque Cœtu eliguntur, quorum laboribus, conſiliiſque Chriſtianæ Doctrinæ per univerſam Provinciam explicandæ, addiſcendæque magnum illud, ac laudabile opus regitur. Sacerdoti, quem Præſidis loco accipiunt, non ſecus, ac parentibus liberi obtemperant, atque in tanta mutatione officiorum, quantam res ipſa poſtulat, immutabiles ad obſequium animos gerunt. Dicatis Divino cultui diebus, meridianas horas in eam curam impendunt, ad S. Sepulcri adſunt, acceptiſque mandatis, deſignata tradendis Fidei rudimentis Templa circumeunt, ita de hac publicæ ſalutis parte ſolliciti, ac ſi de rebus quiſque ſuis ageret. Luſtrata Urbe ad Dalmatii martyris Ædem conveniunt, & ſicubi notatum aliquid alienum a legibus fuerit conſilia in medium proferuntur, quibus obviam iri peccantibus poſſit. Singula

gula quoque Diœceſis loca ſingulis annis in orbem obeunt, ſacratoſque Divini Spiritus adventu dies in eam expeditionem deſignant, eadem veluti flamma urente pectus, qua Apoſtolorum capita arſiſſe ſacræ literæ docent. Haud ego crediderim pietatem hanc in Urbe noſtra tamdiu retineri potuiſſe, niſi Auctor ipſe operis ſupernam è cœlis opem immitteret. Equidem mirabile dictu eſt, in hac miſera mortalium ingeniorum, & corporum conditione homines reperiri, qui mercaturæ, & familiarium rerum curis impliciti, rigida hieme, aut æſtivo calore ſævientibus, deſtinata quieti tempora piis hiſce laboribus tribuant, & nullo quæſtu, nullaque mercede, expenſarum immo, itinerumque incommoda pro Catholicæ Fidei dignitate tam alacriter ferant. Nam & ipſi Gentium Doctori vix credibile videbatur aliquem eſſe, qui aut ſuis militare ſtipendiis velit, aut vineam colere, de cujus fructu non comedat, aut gregem nullo lactis proventu paſcere. Quæ idcirco addere volui, non tam ut æqua virtuti præmia perſolverem, quam ut verecundiam fortaſſe aliquam iis injicerem, qui cum ſtipendia capiant militiæ labores detrectant, & exareſcere arbores ſinunt, quarum ubertate veſcuntur, & lacte ſaturi alendarum ovium incommoda refugiunt.

De

De primis Oblatis, & rebus eorum geſtis.

CAP. II.

COngregationis initia quamquam hactenus fuſe explicaverim, nondum tamen abſolviſſe me arbitror niſi nomina illorum memoriæ tradam, quos primum Congregatio eadem tanquam filios habuit, vel qui potius Congregationi ipſi Patrum loco fuere. Cum honeſtarum artium ſtudia pene in Urbe excidiſſent, & nondum matura rebus gerendis ingenia juvenum eſſent, qui ex Tridentini Concilii decreto in eam ſpem educabantur, ex omni fere Sacerdotum Ordine conquiri neceſſe fuit, qui recenti Inſtituto dignitatem aliquam, & famam darent. Nonnulli ex Collegio Canonicorum, quos Ordinarios appellamus, & qui principem inter eos locum tenebat Octavianus Forerius, nomina dedere, & mutua deinde honoris viciſſitudine evênit, ut illuſtres pietate, & literis viros Societas noſtra eidem Collegio referret, ex quo primordia illa ſplendoris acceperat. Utriuſque autem partis ſingulare decus Antonius Seneca fuit, qui in primario Urbis Templo collega Forerii, mox dignitate illum, & rerum geſtarum gloria ſuperavit. Primum enim a Carolo in partem curarum aſſumptus inter periculoſa certamina, quæ cum Regiis Magiſtratibus nuper exarſerant,

Ripamont. decad. V. lib. V. cap. II.

ſerant, Vicarias regiminis partes ſub Archiepiſcopo geſſerat, acri vir ingenio, qualem videlicet plena diſſidiis, ac difficultatibus tempora requirebant. Anagnienſi deinde inſula decoratus Mediolanum iterum evocatur, ut in eo Concilio, quod Provinciæ ſuæ Epiſcopis Federicus Borromæus indixerat, conſiliorum adjutor, & particeps eſſet. Et cum nonnulli timerent, ne illius aſpectu irritarentur Regiorum animi, ac priſtinarum ſimultatum memoria recrudeſceret, tanta erga hominem veneratio fuit, ut laudem quoque, & amorem apud eos aſſequeretur, quorum odia pro Eccleſiæ dignitate contempſerat. Sane Fontanus Comes, qui tum Philippi II. Hiſpaniarum Regis nomine Mediolani agebat, oblitus diſſidiorum, quæ paulo ante interceſſerant, adeo benigne Senecam excepit, ut honoribus, obſequiiſque quotidiana inſuper dona cumularet. Quin etiam graviſſimis de rebus conſilia cum eo communicaſſe traditur, certus ſe ab optimo ſene nihil relaturum, quod ab juſtitiæ, prudentiæque legibus aberraret. Adeo poſtquam ira deceſſerit æquiora judicia ſuccedunt, &, cum ſepe oderimus homines, virtutes eorum odiſſe non poſſumus.

Hanc Senecæ gloriam æquavit Oblatorum alter Carolus a Baſilica Petri, in quem antiquæ familiæ nobilitas ita pervenerat, ut ab ipſo incipere poſſet. Haud temere dixerim, quietem temporis ejus, & inſtaurandæ Eccleſiæ facultatem quiete factam, hujus Viri ſolertiæ, prudentiæque deberi. Cum enim nonnulli Archiepiſcopi nomen calumniis appeterent, turbarique

omnia

omnia novitate legum apud Regem quererentur, Ipſe in Hiſpaniam profectus ita rem geſſit, ut cum ipſo Rege crederent omnes, nihil eſſe Mediolani quæſitum præter populi diſciplinam, & Sacrorum dignitatem, ex quibus Catholici Imperii dignitas, & fortuna penderet. Ita ſuperatis adverſariorum inſidiis, diſiectiſque ſuſpicionibus, quæ in Principum animos facile irrepunt, locum virtuti fecit ad ea proſequenda, quorum ipſe memoriam ſcribendo proſecutus virtutum earum famam, quam ab hominum injuriis defenderat, temporis quoque invidia liberavit. Monumenta etiam Novarienſis Eccleſiæ, cui ſumma cum laude præfuit, ab ultima antiquitate recoluit, & clariſſimorum Antiſtitum vitam, quemadmodum moribus, ita ſcriptis expreſſit. Paſtorale autem munus nonniſi publicæ ſalutis ſtudio ab illo ſuſceptum argumento eſt, quod S. Carolo vita functo, ad S. Pauli Clericos (Barnabitas appellant) latendi deſiderio tranſierat, velut hanc mundi lucem averſatus, quæ tanti Præſulis aſpectu, & majeſtate careret. Hinc mirum non eſt, primarios ejus ætatis homines ad nobilitanda Congregationis initia confluxiſſe, quæ jamdudum illuſtria ejuſmodi exemplis erant. Non pauci ſane fuere, qui poſthabita tituli dignitate, & opulentia redituum, ampliſſimis ſe ſe Sacerdotiis abdicarent, ut nova hæc ſigna ſequerentur. Porro poſt Hieronymum de Arabia, & Franciſcum Bimium, qui primi omnium hanc provinciam obierant, Julium Cæſarem Bonomium Oblatorum regimini præfuiſſe antiquiora monumenta referunt, ſimulque vitæ inte-

Gluſſian. in vita S. Caroli lib. 6. cap. 9.

integritatem, & egregie geſta commemorant. Eum S. Carolus Federico Borromæo Patrueli ſuo Theologiæ magiſtrum, rectoremque conſcientiæ dederat, quo nihil illuſtrius ad Viri laudem afferri poſſe exiſtimo, cum nemo fuerit aut illo prudentior, qui magiſtrum daret, aut præſtantior illo, qui acciperet. Quinetiam, cum idem Carolus deſperata a Medicis ſalute deficeret, dignus ille habitus eſt, qui cum graviſſimis viris extrema morienti ſubſidia præſtaret, divinamque illam animam ad Superos properantem ſolemnibus pietatis officiis proſequeretur. Cujus deinde rei gratiam Borromæus alter Archiepiſcopus paulo poſt Bonomio rependit, cum ultimo morbo laborantem ſæpius aſpectu ſuo, crebriſque de æternæ vitæ cogitatione colloquiis recreavit. Id quoque ſilentio præterire non debeo, primum illum fuiſſe, qui Urbi noſtræ merita ſimul, & inſignia dignitatis oſtenderit. Clemens VIII. Pontifex Max. tunc primum conceſſerat, ut S. Sepulcri Præpoſitus Rochetto, & Ferula ornatus incederet, ne qualecumque id munus parte aliqua honoris ex tituli nuditate fraudaretur.

Ex literis Apoſtolicis editis an. 1592. die 10. Apr.

Sed jam ad ea memoranda feſtinat animus, ex quibus incomparabilis pene gloria Civitati acceſſit, tandiu duratura quandiu Civitatis ipſius, & Chriſtianæ Fidei nomina manebunt. Conditorem noſtrum immatura mors eripuerat tanto mœrore omnium, ut Patriæ decus, ſacrorum majeſtas, ſolatia pauperum, publica demum ſalus in ejus funere conſepulta viderentur. Interim ex hoc ipſo languore Urbis ſpiritum cœperat

fama

ſama virtutum, creſcebatque in dies gloria nominis, quæ ſera, plerumque poſt cineres venit. Clariſſimæ vitæ deſiderium mors ipſa excitaverat, & magna illa paternæ charitatis experimenta, quod amiſſa jam erant, etiam qui ante contempſerant effuſe laudabant. Sed nondum plane deſierant quæ velut amiſſa Cives deflebant, ignari rerum, quæ divinitus parabantur. Superſtes funeri Caroli amor erga homines erat, merueratque patientia, & conatibus ſuis, ut jam prodeſſe mortalibus ſine lucta, & laboribus poſſet. Locum ipſum, in quo cadaver ejus conditum fuit, ſepulcri nomine appellare vix quiſquam audeat, ſi vim ſalutiferam, & vitales afflatus reſpiciat, quæ ad depellenda morborum omnium genera inde manabant. Narrabant alii febrium æſtus tumuli contactu repente ſedatos, prolem alii mortis faucibus ereptam, alii deformes corporum artus naturæ ſuæ reſtitutos, teſteſque, & nomina notabantur, quæ fidem miraculo facerent. Nec Mediolani modo celebrabantur iſta, ſed ex omni fere regione incolæ aderant nunciantes, quæ invocato Caroli nomine aut invicta medicorum artibus mala, aut majora humanis auxiliis pericula ſuperaſſent. Verum, ut mortalia omnia vetuſtate obſoleſcunt, ſuborta Oblatis formido eſt, ne tot miraculorum memoria paulatim excideret, quæque, ipſi tanto cum gaudio noverant, haud minore cum Reipublicæ damno poſteritas ignoraret. Itaque per Jo: Paulum de Clericis indicto conventu ſenſere unanimes viribus omnibus enitendum, ut mirabiles eventus, quos hactenus fama vulgaverat,

publicis tabulis traderentur. Id autem, ut rite fieret, Bartholomæo Georgio, qui Mediolanenſem Eccleſiam Vicario nomine regebat, porrexere preces, quas utpote grati animi, & pietatis indices hoc loco referri haud injucundum fortaſſe legentibus erit. Fuere igitur ejuſmodi

ILL.ME, AC REV.ME DOMINE.

Ex actis Cancellariæ Archiepiſc.

Omnibus ferme univerſi Orbis regionibus notiſſima ſemper fuit Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Cardinalis S. Praxedis, & hujus Mediolani Civitatis Archiepiſcopi ſeveritas vitæ, & innocentia, incorrupti mores, zelus ardens animarum, ſollicitudo, & vigilantia Paſtoralis omnibus virtutum exemplis referta, pericula, vigiliæ, laboreſque pene immenſi pro Dei gloria, & Chriſtianæ Reipublicæ utilitate ſuſcepti, & alia ejus admiranda acta, & virtutes.

Hinc omnium fere gentium, hujus autem populi Mediolanenſis præcipua ſemper fuit erga ipſum Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum Cardinalem, dum viveret, devotio, obſervatio, ac veneratio, majorque poſt illius mortem, unde plures, pie, & aſſidue ejus ſepulcrum viſitarunt, plerique ejus imagines, tam domi, quam in apothecis, & in aliis publicis locis habuerunt, illiuſque indumenta, aliaſque res domeſticas ſummo ſtudio conquiſiverunt, & quæſitas maximo cum honore ſervarunt, & denique multi ſe ejus interceſſioni commendarunt, & ſe ideo gratias etiam miraculoſe reportaſſe prædicarunt.

Nunc autem de hujus Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Cardinalis ſanctitate gratiis, & miraculis, cum vox, & fama in dies magis etiam creſcat, ſui muneris eſſe duxerunt Oblati S. Ambroſii, qui illum uti eorum Congregationis Fundatorem,

Paren-

Parentem Optimum, & Benefactorem munificentiſſimum agnoſcunt, & obſervant, omnibus viribus eniti, ut publicæ, & authenticæ teſtificationes, & monumenta ſuper præmiſſis aſſumantur, ne, temporis diuturnitate omnia demum conſumente, ex iis aliquorum memoria forte pereat.

Supplices igitur petunt ipſe Præpoſitus, & Oblati a Reverendiſſima D. V. ut dignetur decernere, quod ſuper ipſius Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Cardinalis vita, moribus, geſtis, concurſu ad ſepulcrum, voce, fama, gratiis, ac miraculis omnes opportunæ teſtificationes, & probationes publicæ, & authenticæ, tam jure ordinario, quam omni alio meliori modo, & tam ad æternam rei memoriam, quam ad omnem alium bonum finem, & effectum recipiantur. Quod ſperatur &c.

Nihil honeſtius, aut ad Religionis incrementum utilius peti poſſe apparebat, lectique illico graviſſimi Viri, qui judicio præeſſent, ſedulitate ſua finem fecere operi, cui nulla temporum, aut hominum injuria finem ponat. Vulgata enim veritate ſimul, atque amplitudine rerum, quæ legitimis teſtimoniis relatæ in tabulas erant, injecta Civitati cogitatio eſt poſſe cariſſimo Præſuli Sanctorum honores publica auctoritate decerni, quos jamdudum ex communi animorum ſenſu, & veneratione perciperet. Itaque concilio habito, inſtructoque pro majeſtate Urbis itinere, Duumviri ex nobiliſſimo Decurionum ordine Romam mittuntur Civium vota, immo Europæ totius deſideria ſecum ferentes. Alia ſubinde adornatur legatio urbana illa fortaſſe magnificentior. Non enim equi ſplendide inſtrati, non famulorum agmina, non veſtes auro,

 gem-

gemmiſque radiantes, ſed referti miraculis codices, & collecta ex omni virtutum genere ſanctitatis argumenta ſequebantur. Marcus Aurelius Grattarola Oblatorum Præpoſitus Collegii ſui nomine hoc apparatu ibat, publico, & ſuomet amore erga Carolum incenſus, a quo & Clericali militiæ adſcriptus, & inſignitus Sacerdotio erat. Et nihil plane amori eſſe impervium, nihilque difficile exemplo ipſe ſuo ſatis oſtendit. Nam neque itinerum labore deterritus, neque multitudinem officiorum, quibus Romanæ prudentiæ judicia trahuntur, cauſam, quam agendam ſuſceperat, ad exitum uſque perduxit, nec ante in Patriam redire ſuſtinuit, quam Borromæi Parentis memoriam Superum honoribus illuſtratam aſpexiſſet. Illud vero præclarius, quod rerum omnium monumenta, quarum ipſe adjutor, & teſtis fuerat, literis conſignare ſummo labore, ſummaque cura eſt aggreſſus, effecitque, ut dies illa, quæ tantum univerſo terrarum Orbi ſplendorem attulerat, nullius unquam temporis curſu ad occaſum perveniret. Solemnes ſiquidem apparatus, quibus peracta res erat, & officia Principum, & munerum opulentiam, & publicæ demum lætitiæ pompam antiquis Romanæ magnificentiæ ſpectaculis comparandam tam diſtincte Civium oculis, accurateque deſcripſit, ut neque longinquitas triumphi illius voluptatem auferre, neque oblivio extinguere magnitudinem poſſet. Et, cum omnes fere Italiæ Civitates Mediolanenſis Populi pietatem publico aliquo honoris teſtimonio imitari voluiſſent, eo, quo geſta erant, ordine ſingula notavit, ne

In libro cui titulus: Succeſſi maravi-glioſi &c.

ne quidquam eorum omiſiſſe videretur, quæ tanti Viri memoriam, & claritatem attingerent. Ne quis vero, ſollicitudine tantum, & laboribus actum exiſtimet, documenta habeo, quæ liberalitatem quoque, & effuſas in eam cauſam opes oſtendant. Nam, cum tantæ rei moles ſine magna pecuniæ vi moveri non poſſet, certam expenſarum partem publica fide interpoſita Præfecto Urbis Oblati ſpopondere, lucri loco habentes quidquid ad exornandum Conditoris munificentiſſimi nomen impenderent. Sed hæc fortaſſe levia, & vix notatu digna erant, cum iniquum ſit hominum animos ex divitiarum ſumptu metiri, quo viris ornatiſſimis, & egregie de Republica meritis ignavi quandoque, & deſides præſtant. Nobiliora igitur exequi pergam.

Ex Inſtrumēto recepto per Gabriel. Delfrate anno 1605. 23. Julii.

Quæ ad probandam Caroli Sanctitatem conferre poterant omnia jam in aperto erant, colligendiſque victoriarum exemplis præclariſſima ingenia inſudaverant, quibus edendis unius hominis fortitudo ſuffecerat. Fax illa cœleſtis, quæ olim cunabula naſcentis ornaverat, totius vitæ curſum ſecuta videbatur, ne pars ulla mortalium oculis occulta remaneret. Rejectæ juventutis illecebræ, & laborum ardor cum jejuniorum aſſiduitate conjunctus, & vita ipſa pro ſacri muneris dignitate parricidarum telis objecta, victa mors, fugati Dœmones, & ſi quid aliud miraculi nomine appellari ſolet, Populorum ſermonibus celebrabantur; nec leve pluribus gaudium erat ea celebrare, quæ viderant. Cum ecce miraculum aliud eduxere in lucem Oblati, quo

viſo

viſo cæterorum omnium fama pene obmutuit. Non enim aut in ipſo vitæ diſcrimine orta ſecuritas, aut reſtituta ægris corporibus valetudo, ſed Carolus ipſe jampridem ereptus redonari terris viſus eſt, ut ſimul in beata illa Cœlorum ſede quieſceret, & Paſtoralis officii partes obire apud homines putaretur. Facile quilibet conjicere poteſt, volumen illud hoc loco memorari, quo Acta Mediolanenſis Eccleſiæ continentur, ea nimirum Acta quibus nullum aliud opulentius penu inveniri ad totam Eccleſiæ diſciplinam illuſtrandam Ludovicus Thomaſinus noſtrorum temporum Scriptor celeberrimus affirmavit. Nec ſane ſcio an inter innumera ſanctitatis teſtimonia, quæ temporum memoriam exornant, prodire aliquid mirabilius poſſit. Quis enim exiſtimet Præſulem illum, quem Civitas noſtra nunc ad Romana comitia, nunc ad celeberrima Italiæ Templa proficiſcentem aſpexerat, difficillimis legationibus perfunctum, conflictatum inimicitiis, fractum laboribus, debilitatum jejuniis, in medio fere ætatis curſu ſublatum, poſt ſuperata peſtilentiæ incommoda, tot erectas Ædes, conſtituta Cœnobia, luſtrata Alpium juga, peragratam omnem Provinciæ partem, tam amplum, difficile, eximium expleviſſe opus, cui nihil unquam ſimile laudatiſſima illa Mediolanenſium Archiepiſcoporum ingenia, tot elapſis poſt Pontificem Ambroſium ſæculis edidiſſent? Deſcripta inibi religionis præſidia, firmata legibus Sacramentorum majeſtas, documenta vitæ Sacerdotalis expoſita, conſtituta remedia vitiis, auxilia virtutibus, præreptum denique poſteris quid-

quid

quid excogitari ad Chriſtiani Populi regimen poſſet. At iſta quidem omnia, cum adhuc divulſa invicem, & ſparſim impreſſa per manus hominum, & tabularia vagarentur, tenui ſama, & tacito curſu ibant. Oblatorum vero laboribus expolita, & in unum veluti alveum redacta fluminum inſtar fuere, quæ, diſſitis fontium aquis uno ſinu exceptis, Regnorum opes, & Urbium gloriam vehunt. Tanta equidem fama operis fuit, ut exterarum gentium deſideriis typographorum labor ægre ſufficeret. Remotiſſimæ quoque regiones exemplaria expetebant, & comparanda vere indicis theſauris monumenta terra, marique ferebantur, effuſa videlicet in omnes terras opinione, beata fore Epiſcoporum tempora, quibus uti Mediolanenſis Eccleſiæ legibus contigiſſet. Ita divina illa Caroli mens Italiæ quondam finibus incluſa circumire totius pene terrarum Orbis ſpatia cœperat, magno pietatis incremento, nec ſine aliqua Oblatorum gloria, quippe cum participes curæ, & ſtudiorum omnium fuiſſent, quibus amantiſſimus Paſtor, & illatus cœlo erat, & terris omnibus datus.

Ex epiſtola nuncupatoria ad Card. Feder. Borromeum quæ ipſis actis præmittitur.

Vide Bullam Pauli V. editam ſuper apotheos S. Caroli.

Quod ſi Majoribus noſtris ſtudia iſta, curæque defuiſſent, unius tamen hominis labor efficere poterat, ut, ſi quid mortales referre Superis poſſunt, aliquam gratiæ partem pro immortalibus beneficiis repoſitam Carolo putaremus. Jo: Petrus Gluſſianus erat ex Patricia Mediolani nobilitate Oblatorum numero adſcriptus, aſcituſque in Caroli ipſius familiam, in quam videlicet nemo niſi lectiſſimis moribus, & eximia pietate reciperetur. Is igitur Divinum quiddam inter quotidiana Heri con-

conſilia ſpeculatus, ac veluti præſentiens quanta inde claritas univerſo terrarum Orbi oriretur, notare diligenter ſingula, quæ ab ipſo fierent, inſidiari veſtigiis omnibus, ac furtim inſpicere in diverticula, & latebras, quas eludendis hominum laudibus circumdare ſibi pietas ſolet. Et cum lateri aſſiduus, atque itinerum comes eſſet, opera, & dicta Cardinalis, temporaque, & loca in commentarios redegerat, nihil eorum excidere paſſus, quæ ad futuram nominis magnitudinem pertinerent. Mortuo deinde Archiepiſcopo, cum laboribus, periculiſque triumphi, gloriæque tempora ſucceſſiſſent, quidquid occulte collegerat in publicam lucem effudit, conſolatus ampliſſima narratione diuturnitatem ſilentii, quo mirifica illa Paſtoralis animi teſtimonia compreſſerat. Et ſive indita homini mens, ſive vis aliqua Divini auxilii fuerit, clariſſimarum rerum hiſtoriam tam apte, ſapienterque contexuit, ut cum ipſa dignitate rerum ſcribendi ingenio certare videretur. Nitido enim, ac ſimplici, quo ferme veritas delectatur, eloquio contentus viſa ſibi, vel ab aliis accepta, prout geſta erant, in ordinem retulit, ornatiſſimus idcirco ab omnibus habitus, quod omnem ornandæ narrationis curam penitus effugiſſet. Contigit autem ſumma ejus felicitate, quod bonæ mentis hominibus evenire videmus, ut cum in alienis virtutibus cogitationem omnem ſuam, & ſtudia defigeret, ſimiles inde animi ſenſus ad ſui, cæterorumque utilitatem hauriret. Id ſatis oſtendunt edita in publicum ſcripta, quorum & plura exemplaria inveniri, & frequentio-

rem

rem uſum eſſe ad ſalutem Reipublicæ pertineret. Liber unus, qui de Pœnitentia inſcribitur, alibi revelat peccandi cauſas, alibi remedia, piaſque artes enumerat, quibus in ipſo exortu præfocari ſemina vitiorum oporteat. Parentes alter, & qui parentum loco eſſe debent, id quod S. Carolus ſummopere optaverat, præceptis, conſiliiſque ad familiam recte adminiſtrandam inſtituit, monitis etiam Paſtoribus animarum quo præſertim ordine Conciliorum decreta in idipſum edita exequantur.

Nec dubium eſt quin hæc ipſa grati animi teſtimonia multum ſplendoris, & gratiæ Congregationi attulerint, ſive honeſtas ipſa ſtudiorum conciliaret hominum animos, ſeu Parens Optimus illa eadem Filiorum officia benigniori obtutu e Cœlis aſpiceret. Æſtimatio certe in dies major Romæ præſertim erat ob recentem virtutum memoriam, quarum paulo ante miſſa legatio ſpecimen dederat. Proditum memoriæ eſt, cum Avenione Clericorum, & Populi diſciplina prope concidiſſet, Jo: Paulum de Clericis, cujus antea memini, Archiepiſcopo ejus Urbis renunciato Summi Pontificis juſſu comitem datum, ut eo adjutore labentem Sacerdotum dignitatem, & turbata Sacrorum jura ad Eccleſiæ Mediolanenſis inſtituta componeret. *Ex actis Congregationis.*

Sed nulla res gratior Romanorum oculis fuit, quam cum Oblatorum Sodalitium aliud apud ipſos quoque excitaretur, veluti majeſtati ſuæ datum judicantes, ne ſingulare aliquod in Chriſtiana Republica decus exteris invidere cogerentur. Pervetuſtæ Ædi, quam *Grattarola parte* II. *cap.* 32.

E S. Am-

S. Ambroſio dicatam Romæ habebant, recentiorem aliam S. Carolo ſacram Mediolanenſes addiderant, quæ inter pulcherrima illa terrarum Orbis Templa citra Gentis ſuæ pudorem conſpici poſſet. Subit deinde animum cogitatio novum illud Sacerdotum genus in iis ædibus collocandi, quale ad S.Sepulcri Ædem Mediolani eſſet. Jucundum videlicet ſibi ipſis fore, ſi patrii ritus veſtigia in alieno ſolo cernerent, & nihil fortaſſe charius Carolo futurum, quam ſi hanc veluti ſobolem ſuam in principem mundi Urbem recipi, ac multiplicari videret. Cardinales, quibus id negotii datum erat, Mediolanenſem Archiepiſcopum literis rogavere, ut delectos ejuſdem Ordinis Viros mittere dignaretur, qui Sodalitii lineamenta ſecum afferrent, documentaque, & leges infigere animis poſſent, quibus hanc Inſtituti formulam amplecti placuiſset. Jere Andreas Bonus, & Jo: Baptiſta Aironus, ille ex primarii Templi Canonicis, ex Paſtorali alter Beſati cura evocatus. Poſtquam intravere mœnia, intenti in illos omnium oculi erant, inſito hominibus deſiderio noſcendi, quæ nunquam antea viderint. Inde Hoſpitibus ſollicitudo ingens, & incitatior ad virtutem cupiditas, ne ſuorum deſideria, & ſpem publicam fefelliſſe viderentur. Invenio ſagacem illam, & nihil ſolitam mirari Urbem obſtupuiſſe ſeveritate vitæ, & magnitudine laborum, quos præſtantiſſimi Viri pro commiſſa ſibi provincia, & Romani Populi ſalute perferrent. Præcipua ſtudiorum erant concionari e ſuggeſtu, criminibus devinctos abſolvere, pios habere conventus, quodque in Apoſtolico munere

Id. lib. 11. cap. XI.

dif-

difficillimum eſt, perditam juventutem, & juventutis exitia mulierculas, quæ corpore quæſtum facerent, admonere æternæ paupertatis, & ſuppliciorum, quæ turpi lucro, & improbis voluptatibus manent. Hanc pietatis famam concurſus hominum ſequebatur, concurſum alius labor, cui ſubinde largitionum adminiſtratio, & cura ſcribendi omnia, quæ Caroli patrocinio divinitus fierent, tanquam otii pars, & laſſitudinis ſolatium accederet. Ita jactis in Urbe Congregationis initiis, conſtitutoque Oblatorum nomine, onuſti laudibus in Patriam rediere. Bonus quidem ad Suos, Aironus autem Nazarianæ Baſilicæ Præfectura inſignitus, quam non vitæ modo, verum etiam honeſtiſſimo mortis genere illuſtriorem effecit. Graſſante enim peſtilentia cum ſtationem deſerere noluiſſet, quin Gregi ſuo per omnia charitatis officia deſerviret, eadem ipſe lue contactus propiore martyribus titulo ſpiritum exhalavit.

Trigeſimo quinto, poſtquam hæc evenerant, anno allatæ aliæ Mediolanum literæ argumento erant, neque foris geſta, nec ea quæ domi ab Oblatis gererentur Romanis Patribus diſplicere. Antonius Barberinus S. R. E. Cardinalis, Urbani VIII. Pontificis Max. germanus frater, Collegium Romæ excitaverat, ejuſque adminiſtrandi onus Congregationi reliquerat, cui propagandæ Catholicæ Fidei cura celebre nomen fecit. Ibi ingenui ex omni natione adoleſcentes ex ejuſdem inſtituto in noſtra uſque tempora alebantur, ut qualia ab idoneis præceptoribus accepiſſent puriſſimæ religionis

Ex actis Congregationis.

dogmata in Patriam reportarent. Paulo poſt, cum Cardinalis Caponius huic provinciæ præeſſet, cœpit conſilium ejuſmodi, ut Collegii magiſtros ex Mediolanenſibus Oblatis aſſumeret. Duos illuc deſtinari placebat, quorum unus Philoſophorum ſententias, alter Theologica effata juventuti explicaret. Haud equidem Romæ deerant ingenia virorum, qui hoc docendi munere diligentius fortaſſe, ac laudabilius fungerentur. Sed obſequendum erat tanti Præſulis benevolentiæ ſimul, & auctoritati, monitique illico Vitallianus Oldradus, & Protaſius de Cuſtodibus, ut ſe ſe ad implenda Cardinalis ampliſsimi poſtulata quamprimum itineri expedirent. Non ego fraudabo Sodalium noſtrorum memoriam ea parte laudis, quam ſibi, nobiſque uno tempore meruere. Extat epiſtola, quam Franciſcus Ingolus Congregationis ſupra memoratæ a Secretis, ad Cardinalem Cæſarem Montium Urbis noſtræ Archiepiſcopum in hæc ferme verba conſcripſit. Duos illos ex Oblatorum Sodalitio Sacerdotes Romano Collegio commodari haud aliter, quam Divinæ beneficentiæ munere contigiſſe. Mirum eſſe quantum eorum ſtudiis Collegii fama, & Alumnorum ingenia proficiant. Nam ſive privatim doceant in Scholis, ſive publicas diſputationes inſtituant, ſemper eorum dicta ſupra communem ſcientiam eminere. Chariores quotidie Romanis Civibus fieri, præſertim cum ad literarum gloriam gravitas morum, & vitæ ſanctitas veluti cumulus bonorum omnium accedant. Hæc de miſſione Oblatorum Ingolus afferebat, cujus fidem nemo vocare

in

in dubium poſſit ſi præmia, & publicos honores aſpiciat, quos ex ejus Collegii cultu ad ultimum retulere. Poſtquam enim præſtituta ſibi ſtudiorum curricula expleverant laudati a Summo Pontifice, ornatique honeſtiſſimis ſacerdotiis in patriam ſunt remiſſi.

Oldradus Metropolitanę Theologus.

Quoniam vero ex patriæ finibus divagari hiſtoria hæc noſtra cœpit, ad locum attinet rem aliam memorari, ſin minus nobis, at multum gloriæ Parenti noſtro, nec parum lætitiæ bonis omnibus allaturam. Urbs eſt apud Indos nomine Guadalaxar, ejus Regionis caput, quam Hiſpani ignotas antea terras adepti, veluti nativa Regna geminantes, novam Galloetiam appellavere. In ea ſpectatæ aliquot innocentiæ Sacerdotes Mediolanenſium Oblatorum famam ſecuti, non ſine Præſulis ſui auctoritate, nomen idem aſſumpſerant, & bonis auſpiciis rem aggredi videbantur cum ipſi quoque ſacratam Dominici Sepulcri titulo ædem colerent. Igitur occaſionem nacti ad nos tanquam ad Fratres literas mittunt enixe rogantes, ut inſtituta omnia diligenter deſcripta ſibi invicem mitterentur, quæ inviolata ſervare in animo habeant, ut ipſa morum, & vitæ ſimilitudo fraterno nomini fidem faceret. Privilegia inſuper, & ſi quæ alia decora Inſtitutum exornant, ea ſibi impetrari a Summo Pontifice poſtulabant, quo ſimilitudinem illam apud populares ſuos dignius ſuſtinerent. Triennio poſtquam editæ erant literæ denique illæ Mediolanum pervenere, &, cum Joſepho Archinto Cardinali Archiepiſcopo oſtenderentur, quæ apud nos præſto erant expediri in præſentia juſſit, pollicitus

De Cuſtodibus fuit Præpoſitus Gallarati.

interim

interim daturum ſe operam, ut oratores erga res noſtras tam benevole affecti Romæ quoque voti compotes fierent. Quæ deinde officii noſtri, & totius rei fortuna fuerit tot interiecta marium, terrarumque ſpatia in occulto tenent. Mihi certe ſatis fuit exponere quouſque Caroli, & rerum ab eo geſtarum fama pervenerit.

Piget enim ab ejus temporis memoria recedere, ex quo tot ſolidæ virtutis exempla in poſteros manavere. Miror equidem Majores noſtros tot, tamque diverſa munia potuiſſe ea, quæ ſemper noſtra fuit, paucitate complecti. Nam cum ſatis negotii, & laborum domi haberent, in frequentiora Provinciæ loca quotannis deſignabantur, qui ſacro jejuniorum tempore Divini Verbi prædicatione fungerentur. Nec in ſubjecta modo Oppida, ſed in finitimas quoque Regiones ea cura proceſſerat. Aquenſi, & Caſalenſi Epiſcopis concionatores datos, & Alphonſum Oldradum Genuæ primum, deinde Ferrariæ ex primario ſuggeſtu, non ſine Civium plauſu, & favore auditum accepimus, tanta ævo illo Viri fama, & oratorum inopia fuit.

Haud multo poſt expeditio in Rhætos Helvetioſque ſuſcepta, ut multum gloriæ, ita plus laboris, ac periculi habuit. Dira hæreſis, & nullis unquam Catholicæ Fidei ſatiata cladibus in eos montes irrepſerat, infeceratque omnia, nacta ſcilicet vacuam literis terrarum partem, & quibus præcipue graſſari ſolet, eloquentiæ fraudibus opportunam. Simpliciſſima Gens, & gregibus aſſueta in rebelles ſectas, & blanda opinionum exitia more pecudum ſuarum ibat, nec ullus impie-

impietati horror ubi direpta Templorum ſupellex, & occupata Sacerdotum jura præmium erant abjectæ religionis. Fabricius Verallus Apoſtolicæ Sedis nomine in Helvetiis agebat. Is cum omnia in præceps ire, & Catholicum Nomen quotidie labefactari videret, auxilia Mediolano tanquam ex fœdere contra communem hoſtem petere inſtituit, rogabatque, ut viri aliquot Theologiæ ſcientia præſtantes mitterentur, qui pravis opinionibus obviam irent, & ſi quid ſani ſupererat ab lethali illa novorum dogmatum tabe tuerentur. Ea quoque cura in Oblatos incubuit. Miſſi illico Antonius Scotus, Antonius Madius, Antonius Calvenzanus rebus antea geſtis celebres Viri, & ſingulari quadam ingeniorum, & nominum concordia pares. Quæ porro fortuna ipſorum fuerit, quos caſus, laboreſque, quot pericula tulerint, conjicere verius, quam exponere ſive infortunio aliquo, ſive Majorum incuria cogimur. Quadriennium certe expeditio tenuit, & Eccleſiæ rebus momenti plurimum attuliſſe fatendum eſt, cum eam tam effuſis ſumptibus, tantoque temporis ſpatio ſuſtineri operæ pretium fuerit.

Ripam. decad. V. lib. V. cap V. & Franciſcus Rivol. in vita Fed. Borromei lib. 3. cap. 27.

Verum miſerrimæ Gentis ea calamitas erat, ut ſanata alia reipublicæ parte, ex alia deinceps ſerpens interius lues erumperet. Poſt ignobiles pagos, * Curiam denique Hæreticorum nequitia pervenerat, ſubjectis inde Regionibus, & proximæ Italiæ minitans tanquam ex altiore loco. Precipua impiorum hominum cura fuerat abrogare honorem Apoſtolicæ dignitati, quo facilius deinde omnis erga Catholicum nomen reverentia concideret

* *Coira.*

deret. Exturbavere ſedibus ſuis Epiſcopum, atque in eam inopiam redegere, ut vix tegendo corpori neceſſaria relinquerent. Templi ſupellex, ſericæ veſtes, argentea vaſa, & quidquid aliud ad augendam Sacrorum majeſtatem tot annorum munificentia contulerat, ſacrilegis manibus omnia direpta; & magnæ felicitatis loco habitum ſi quis religioſorum hominum in tanta ſæviendi licentia intactus evaderet. Eadem vis minoribus Eccleſiis illata, Sacerdoteſque nuda, ſive dejecta altaria deſerentes miſere querebantur, quod, omni ſublato ſacrificiorum apparatu, Divini Numinis iram Cœleſtibus hoſtiis lenire non poſſent. Mediolanenſem Archiepiſcopum, quo propius urebat malum, eo gravior cura tangebat, ut ſimul & Provinciæ ſuæ conſuleret, & in tam miſero ſtatu conſtitutis opem aliquam ferret. Monuit, puto, exitus præteritæ legationis, ut ſimili quoque auxilio in præſentia uteretur. Stephanum Brochium, & Jo: Baptiſtam Boſſium penetrare ad interiora Alpium jubet, &, quantum in illis rerum perturbationibus poſſint, laboranti populo ſalutem afferre. Tradit inſuper abeuntibus dona diſtribuenda animarum Rectoribus, frontalia, mappas, argenteos calices, & ferme alia quibus ad Rem Divinam faciendam uti ſolemus. Epiſcopo ſingulatim conſentaneæ dignitati veſtes mittebantur, & cum cætero apparatu pontificalia indumenta, ſi quando ad aram auguſtiore ritu litare deberet. Ita inſtructi abiere, paratis in omne diſcrimen animis, nec ulla de re magis ſolliciti, quam ne timuiſſe hoſtium minas, & objecta pericula

vide-

viderentur. Quibus equidem animis meruiſſe credendum eſt, ut eos Divina beneficentia poſt initas cum efferatis ingeniis diſputationes, per obſeſſa rebellium odiis itinera, non incolumes modo, verum etiam laudibus ornatos in patriam reduceret. Apoſtolici Nuntii, & Epiſcopi ipſius literæ teſtabantur, Oblatos in Rhætiam miſsos ſaluti fuiſſe quamplurimis, atque ob ſingularem probitatis, & ſapientiæ famam ab ipſis Hæreticorum magiſtris reverenter exceptos.

Et huic fortaſſe legationi robur addiderant Majorum geſta, quorum apud incolas recens adhuc, & illuſtris memoria manebat. Penetraverat in ea quoque loca extremo Pontificatus ſui tempore D. Carolus, nonnullis e Societate Jeſu, & Oblatorum Cœtu ſecum adductis, quos ſibi auxilio futuros ad ſuſcepti conſilii exitum intellexerat. Corrupta illic, & inquinata erant omnia pravitate doctrinæ, vel amore vitiorum, quæ, ubi affectibus imperitare cœperunt, facile a Fidei veritate hominum mentes avertunt. Acceſſerant alicubi veneficia, diræque fraudes, quibus devota Orco capita in vitam, fortunaſque Popularium graſſabantur. Narrabant agreſtes maligna carminum vi exuſtas repente ſegetes, prolem in ipſis cunabulis inſanabili macie conſumptam, greges etiam ex alpium vertice cum paſtoribus ſuis ad ima dejectos, & ſi quid aliud ars inferorum alumna excogitare in humani generis perniciem ſolet. Sacerdotes ipſos, horrendum dictu! eadem dementia cœperat; quin & eorum Antiſtitem ſacrilego fœdere dæmoni obſtrictum, cum nulla conſi-

lia, nullæque preces ſanare potuiſſent, vivum combu-
ri juſſere Magiſtratus, atque ita ſui ſimilibus exhibere
ſpecimen aliquod ſuppliciorum, quæ tanto crimini de-
ditos poſt hujus vitæ finem expectant. Petrum Stop-
panum Archiepiſcopus in comitatu habebat, quem pre-
cibus ſuis, ſicut initio operis memoravi, proximæ mor-
tis periculo mirabiliter eripuerat. Hunc vacuam Sa-
crorum Præfecturam capeſſere juſſerat, nonnullis ejuſ-
dem inſtituti Sacerdotibus ibidem relictis, ne, omni
auxilio repente ſublato, vix e graviſſimis malis conva-
leſcens Populi diſciplina in priſtinas calamitates reci-
deret. Confirmatis deinde rebus ex ea ſtatione revoca-
ti alii alio diſceſsere, & Stoppanus quidem in Vulture-
nos, unde ortus erat, remiſſus commiſſam ſibi Eccle-
ſiam ita adminiſtravit, ut eum vere dignum omnes
putarint, cujus olim vita miraculo ſervaretur.

Sed neque Hæreticorum domicilia, Rhætorumque
Alpes adiri neceſſe erat, ut interritas periculis men-
tes, & in ipſo mortis conſpectu impavida pectora
ex illorum temporum memoria depromerem. Exorta
calamitas domi erat, quæ probare ſatis poſſet quid
cuique virium ad contemnenda vitæ diſcrimina ſup-
peteret. Exeunte anno 1628. perferuntur Mediola-
num literæ nunciantes, peſtilentiam ex ſuperioribus
Germaniæ locis in Italiam obrepere, jamque ignobi-
lia quædam cis alpes Caſtella funeſtis indiciis perva-
gari. Perculit ea res Borromæi Archiepiſcopi animum,
& niſi morbi, quo paulo antea defunctus erat, reli-
quiis detineretur, iturus ipſe ad Alpium confinia cre-
deba-

debatur opem aliquam infelicibus, etiam ſi lues abeſſet, incolis allaturus. Verum is præcipue metus angebat, ne corpora ſimul, atque animas eadem clades involveret, exterritique proximo excidio Sacerdotes turpiorem excidio fugam ab commiſſo ſibi Populo arriperent. Advocato itaque Jo: Antonio Buſſola, qui tum Ordini præerat, jubet aliquem Regionis peritum inter Oblatos exquiri, qui vicaria poteſtate funeſtas valles adiret, caveretq; ne inter mortis anguſtias deprehenſi amiſſa inſuper æternæ ſalutis ſubſidia deplorarent. Conſilio habito, Flaminius Plattus in eam provinciam deligitur, non ſine aliquo multorum mœrore, qui pulcherrimum illud periculi genus certatim expeterent. Sed ampliſſimum huic mœrori ſolatium parabatur, tranſgreſſa, ſive delata in Urbem lue, cujus cauſas alii alias confinxere, tacito quodam erga publica vitia favore, quæ ſemper triſtes malorum cauſæ, & certa principia fuerunt. Tum demum apparuit quid illa eſſet parata Sacerdotum manus, quæ ad Eccleſiæ Mediolanenſis neceſſitates operam omnem ſuam Archiepiſcopo devoveret. Referam hoc loco Hiſtorici verba qui funeſtiſſimi temporis monumenta non ab aliis audita, ſed oculis ſuis inſpecta literis tradidit. Proditis igitur eorum nominibus, qui Sacerdotum Noſocomio Præpoſiti fuerant. *Hi fuere*, inquit, *Præſides Antiſtiteſque Eccleſiaſtici Lazareti poſt alterum alter, & idoneos ipſi alios ex graviſſimo Ordine Oblatorum aſſumpſere, qui præſiderent ibi, atque excubarent in utramque curam, ut cum dignitate tractarentur, atque alerentur decumbentes, ibi,*

Ex actis Congregationis.

Ripam. lib IV. de Peſte.

 clauſi-

clauſique Sacerdotes, & bene, pieque moriendi ſimul adjumenta omnia haberent. Et paulo poſt. *Mortuiſque prioribus Oblatis in miniſterio, curaque illa, & adminiſtratione Lazareti, non deerant ex Ordine eodem, qui ſuccederent alacriter, palmamque adamarent, tum ut Cardinali ipſi gratificarentur, tum vero quia in munere illo cadere glorioſum putabant.*

Nec minor extra Urbem Oblatorum pietas fuit. Adamum Moltenum, & Jo: Baſſium, illum Modoetiæ, hunc Biaſchæ Sacrorum Præſides eodem lethi genere abſumptos ætatis ejus annales teſtantur, & ægre aliquando poſteri credent quod graviſſimis documentis firmatum habemus, aliquem etiam fuiſſe, qui & mortem patienter obire, & celebrare ſibi ipſi funus, & corpus ipſe ſuum tumulo inferre uno tempore potuerit. Proximam hanc miraculo fortitudinem Jo: *Ex actis Congreg.* Baptiſta Rhaudus Legioduni Præpoſitus exhibuit. Præbendo ſiquidem moribundis aures, & cœleſtis vitæ pignora circumferendo, cum halitu ipſo tabem arripuiſſet, cumque dilabentem e præcordiis ſpiritum pene ſentiret, in foveam, quam effoſſa humo ſibi paraverat, propere deſcendit, circumfuſaque ad ſpectaculum multitudine de humanarum rerum miſeriis pauca præfatus, compoſito ad ultimum decenter corpore, conformatiſque in crucis modum manibus, quam leniſſime expiravit.

Per eadem tempora Gratianus Ponzonus futuræ ſanctitatis indicia Mediolanenſi populo præbuit. Hunc argento optime inſtructum partem alteram Urbis circumire

ire juſſerat Cardinalis Archiepiſcopus, atque opem ferre familiis, quas propter extremam annonæ caritatem lethifer morbus invaſerat. In id paternæ pietatis officium, cum præter acceptam ab Archiepiſcopo pecuniam privatas opes impenderet, ſequenti anno, qui, effuſa per univerſam Inſubriam peſtilentia, funeſtiſſimus fuit, Aronæ Archipresbyter renunciatur, non ſine Piorum metu, qui objectam evidenti periculo tanti Viri ſalutem deflebant. Pepercit tamen illi Oppido lues, quaſi reverita S. Caroli Patriam, nec auſa illuc turpe excidium inferre, unde publica olim ſalus effulſerat. In tanta incolarum frequentia familiam tantummodo unam commune malum attigerat, quæ coacta illico exire mœnibus, ne contactu, afflatuque ſuo aliorum corpora inficeret. Tunc enimvero Archipreſbyter Divini Paſtoris diligentiam æmulatus, qui avulſam a reliquo grege oviculam perire non ſinit, impetrato a Magiſtratibus egreſſu, ex Oppido ſe ſe proripuit, ut ejectam illam, exulemque familiam cum rebus aliis omnibus, tum ipſa periculi ſocietate recrearet. Sed in eo quoque diſcrimine rejecit hominem, ſive rejecta mors ope Numinis fuit; nec peperciſſe Populo peſtis videri poterat, viro illo erepto, in cujus virtutibus ejuſdem Populi ſalus tota pene conſiſteret.

Et magnæ ſane res in ejus hominis vita agebantur, quam propterea præter communes naturæ leges ſervari oporteret. Haud ego referam nefarios dæmonum aſtus ejus virtute ſuperatos, non deſideria voluptatum flagellis, jejuniiſque perdomita, non infames mulier-

lierculas præſidiario militi inter intenta tela, gladioſque ſubductas, non alia denique mirabilia dictu, quæ M. Antonius Roſſa Societatis Jeſu Sacerdos, non ſine Ordinis noſtri pudore ſimul, & gloria literis commendavit. Certe conſtat, poſt tot annorum ſpatia, nondum viri memoriam Aronæ conſenuiſſe, nomenque, & cadaver ejus inter publicæ ſalutis pignora, ſpeſque Loci præcipuas numerari. Rem unam duntaxat ex ejus vita repetere juvat, quæ vix primo aſpectu notabilis, tamen ob conſecutas inde utilitates, & partum aliud Mediolanenſi Eccleſiæ decus ad memoriam inſignis fuit. Adoleſcentulæ aliquot Ponzoni hujus hortatu in ædem ejus paternam ſeceſſerant, repudiatoque nuptiarum deſiderio, remotam ab hominum oculis, & omni muliebris inſaniæ periculo vitam agebant. Virginia Alarda in Subalpinis nobili loco nata, virginitate, & moribus longe nobilior, Mediolano accita, ubi inter ſtudia pietatis juveniles annos exegerat, huic novæ familiæ data erat modeſtiæ cuſtos, & magiſtra officiorum, quæ inibi ad monaſticæ ſeveritatis ſimilitudinem exercebantur. Sed auri inopia magnificentiam conſilii, & amplas de futuri operis dignitate cogitationes in ludibrium pene, aut deſperationem adduxerat. Crevit tamen loco honos cum piorum hominum beneficentia, tum maxime Borromææ Gentis liberalitate, ac favore, quæ ſemper præclaris rebus propitia Domus eo præclarior ipſa in omne tempus evaſit. Voluerat ſane Archipresbyter initiare virgines ſeverioribus inſtitutis; jamque nudæ ad quietem tabulæ, jejuniorum aſperrimæ

mæ leges, rudeſque tunicæ, ſupplicia magis, quam tegumenta corporum parabantur. Verum hoſce prudentiſſimi Viri conatus alio vertebat Deus, ut manente laboris, & ſtudiorum gloria, conſilii tamen exitum immutaret. Ponzono ſiquidem mortuo, cum Carolus Litta, qui in ejus locum ex eodem Sodalitio ſucceſſerat, ſanctiſſimæ rei initia pari cura, & fide adminiſtraret, Inſtitutum aliud accepere Virgines, quo S. Franciſcus Saleſius memoriam ſui temporis, & multa trans Alpes loca nobilitaverat. Id prudentiorum inſtinctu, & conſenſu Archiepiſcopi factum, adnitente præſertim Iſabella de Abdua, quæ ob Comitis Caroli Borromæi obitum vidua relicta prioris vitæ pompam, & ſuperba nomina ſub ejus Ordinis diſciplina depoſuit. Ea res, cum ad ſplendorem, famamque Loci ſummopere profuiſſet, ſupremam denique operi manum impoſuit Julia Areſia, quæ Renato Borromæo Iſabellæ filio nupta parem ingentibus divitiis animum ex paterna domo ſecum attulerat. Cum enim prona ad pietatem omnia in mariti penatibus inveniſſet, indolem ſuam, & familiæ mores ſecuta Aronenſe illud Monaſterium tam apte ædificiis reformavit, ut elegantia ipſa, & nitore cellarum Virginitatis, & innocentiæ ſedes videri poſſit. Sacram inſuper Ædem ære ſuo a fundamentis erectam ſibi ad ſepulcrum delegit, additura cæteris ornamentis quidquid illud dignitatis, & gloriæ in exanimi corpori ſupereſſet. Verum hæc omnia pars minima honorum fuere, quos ad memoriam Paſtoris optimi, cujus conſilio inchoata res erat, incolæ refe-

referebant. Vixere hactenus, nec non hodie quoque intra illa clauſtra numerantur clariſſimæ fœminæ, quæ virtutibus ſuis, & omni cœleſtium donorum genere ſplendorem alium addidere Loco, quo dicatas Deo virgines gloriari maxime oportet. Qua ſanctitatis, & diſciplinæ ſama id denique meruere, ut celeberrimus Ordo, poſtquam Oblati unius inſtinctu intra Inſubrum fines receptus erat, alterius opera in primariam Inſubriæ Urbem traduceretur.

Jo: Baptiſta Tonetta is fuit, qui, niſi proni ad pietatem animi multa, & præclara ſigna in rebus omnibus edidiſſet, cogitationem hanc ex ipſo natali cœlo arripuiſſe videri potuit. Aronæ ſiquidem natus Inſtituti formulam a puerilibus annis didicerat, noveratque ſimul quantum humanarum rerum contemptus, & ſuaviſſimus erga Deum amor inter ea ſtudia proficeret. Mediolani igitur, cum in S. Sepulcri Ædibus, adverſa ut plurimum valetudine, detineretur, multique ex primoribus Civium ad ipſum quotidie ventitarent, explorare primo ditiſſimi cujuſque indolem, mox jacere nonnulla, dein ſerere aptos aperte ſermones de excellentia, & utilitate Ordinis cœpit. Dolere ſe ſe Mediolanenſium vicem, qui, cum ſanctiſſimorum hominum inſtituta fere omnia penes ſe habere glorientur, altero illo veluti per negligentiam careant, cujus Auctor ipſorum Urbem aliquando recreaverit aſpectu ſuo, miraculis etiam illuſtrarit. Negligentiam hanc totius Europæ judicio damnari, quæ Franciſco Saleſio tot Virginum Aſceteria unius ſæculi ſpatio ſacraverit, ut

vetu-

vetuſtiſſimo cuique Ordini neque celebritate, neque nu-
mero inferiora videantur. Ineſſe ſcilicet Inſtituto mite
quoddam, ac temperatum diſciplinæ genus, quæ, re-
jecto ſqualore, ac laniatu corporis, curam omnem ſuam
circa occulta deſideria, & arcanos animi motus exer-
ceat. Hæc, & ſimilia jactando, non ſine multis ad
Deum precibus, tandem pervicit, ut primariæ nobili-
tatis matronæ conſpirare cum ipſo in eandem ſenten-
tiam inciperent, idque crederent non tam ad laudem
Civitatis, quam ad ſui ſexus gloriam pertinere. Ita
ſpe ſimul & gaudio geſtientem ſollicite circumſtant,
inſiſtere cœptis bono animo jubent, fide omnes data,
ſi modo ipſe capeſſere curam totius operis velit, ſe
quantum auctoritate, & opibus valeant, ejus conſiliis
minime defuturas. Caſu quodam, ſive Numinis vo-
luntate evênit, ut per eadem tempora Cœnobium aliud
Mediolani tolli ex oculis Civium, ac deleri oporteret.
Hoſpitalia illa tecta Teatinis Patribus fuerant, cum
primum in Urbem reciperentur, mox munimenta puel-
larum, quas, parentibus peſtilentia conſumptis, S. Ca-
rolus ibi concluſerat, ne intactas aeris vitio deterior
alia lues attingeret. Earum ſubinde aliquæ pertæſæ
frequentiam hominum monaſticæ vitæ leges ſub S. So-
phiæ nomine, & auſpiciis ſuſcepere, quas ſubſecutæ
aliæ in noſtram uſque ætatem eodem ritu agebant. Sed
ſive adverſitas temporum, ſive ita muliebris admini-
ſtratio tulerit, eo inopiæ ventum erat, ut Collegium
extingui, virgineſque alio commigrare Romana tribu-
nalia juberent. Nihil illo infortunio felicius accidere

ad novi operis initia poterat. Oblata divinitus occaſio videbatur, ut clariſſimus Ordo, de quo nuperrime tot conſiliis actum erat, abſque ullo perturbationum incurſu, quibus plerumque obnoxia novitas eſt, deſerta ſacra, & vacuos receſſus occuparet. Magiſtras, & Præſides inſtituti ex Aronenſi Monaſterio deduxere Camilla Barberina, ac Thereſia Modrona, illa Caroli Borromæi, hæc Nicolai Vicecomitis uxor, quarum nomina memorari par erat, ne præcipua rei geſtæ auxilia poſteritati celarentur. Tertio deinde anno poſtquam receptæ virgines erant, qui fuit ſalutis humanæ MDCCXVI., exhibuere Civibus fundamenta Templi, cujus hodie moles oſtenditur inter Patriæ laudes, & exempla magnificentiæ. Ita repente lux alia Mediolani religionis exoritur, adeo conſpirantibus Superis ad gloriam Civitatis, ut Sacrorum cultus qua parte exoleſcere, & extingui videbatur, inde majore vi, ac ſplendore reſurgeret. Cæterum hæc, atque alia, quæ retuli, propoſita eſſe initio operis volui, ut ſi quando noſtri generis homines ad exordia nominis ſui reſpexerint, exempla quoque virtutum inveniant, quibus ſervari gloria nominis debeat.

De

De Collegiis Oblatorum admini-ſtrationi traditis, & primum de Seminario Clericorum.

CAP. III.

Uæ a Majoribus noſtris honeſte, ac laudabiliter geſta ex eorum temporum monumentis accepimus, ea in medium proferre cura hactenus noſtra fuit; neque ſerius tradi oportebat, quippe cum veluti fundamenta qualiſcumque hujus æſtimationis, & gloriæ fuerint, quæ noſtris temporibus manet. Nec vero quiſquam exiſtimet, ab ejuſmodi fundamentis molem aliquam excitari, quæ cæterarum ædium faſtigiis ſuperbe immineat, atque in finitima tecta late umbram effundat. Id quoque majorum noſtrorum perpetuis exemplis ſancitum habemus, ut tenuitatem noſtram noſſe, & æquis animis ferre velimus, modeſto ſplendore, & Civium benevolentia contenti, quorum odiis, plerumque amplificandæ poteſtatis libido, & eminendi cupiditas patet. Divitiarum quæſtus, & indigna ſacris hominibus æmulatio omni tempore procul abfuere, &, ſi quidquam notare in Patrum moribus licet, dubium non eſt quin potius auctoritatis ſuæ negligentia, quam alienæ cupiditate peccaverint.

Oblatorum Sodalitium ea præſertim mente S. Ca-

rolus excitaverat, ut idoneos inde viros aſſumeret, quorum ductu inſtituta nuper juvenum Collegia regerentur. Hæc juribus, ſtudiiſque noſtris præfixa confinia erant, &, niſi in hanc partem laxarentur anguſtiæ, rem prope univerſam unius ædiculæ ambitus caperet. Seminarium in primis cordi erat, cujus claritatem futuris ſæculis admirandam ſpes exiguæ, & obſcura initia tegebant. Conductitia domus in ea parte Urbis, quæ, corrupto Corrivii nomine, Carrubium dicitur, Adoleſcentes exceperat, quos Tridentini Patres ad animarum regimen ſeparatim educari paulo antea juſſerant. Regio deinde alia, quæ orientem aſpicit ſolem, ampliora ſpatia his Alumnis dedit, cum Pius V. Pontifex Max. fœdata Humiliatorum ſceleribus ædificia, & collocatas ſacrilege opes in religionis præſidium, & piorum hominum alimenta converteret. Sed ſqualor ipſe vetuſtatis comes, & paratæ quondam in alios uſus cellæ diſplicebant. Dejecto itaque quidquid præterita ætas, aut recentium vitiorum memoria inquinaverat, moles illa aſſurgere in altum cœpit, qua nullum fortaſſe magnificentius domicilium literæ habeant. Quadratam late aream concameratæ infra, ſupraque porticus effingunt, duabus ſupra centum, & quinquaginta columnis innixæ, ex quibus conjicere amplitudinem poſſis. Superiora ædium ſomno, & vigiliis attributa, quorum utrumque quietis, & ſtudiorum alterna neceſſitas petit. Inferior ambitus intermixta gymnaſiis ſacella, & aras amplectitur, admonetque varietate illa æterni, ac pulcherrimi fœderis, quo religionis amor

ſociari

ſociari literis debeat. Quidquid ad occaſum ſpectat Athenæum, & Triclinium æquis inter ſe ſpatiis dividunt. Neque ego is ſum, qui amænam ſcribendi materiem nactus divagari per omnia velim, atque eam quodammodo ſculpturæ luxuriam imitari, quæ in omne propemodum florum genus vernare marmora, & germinare lapides docuit. Pudet enim ad ſteriles ornatus, & ſpecioſa oculorum ludibria deflectere, idque in conſpectu clariſſimarum artium, ex quibus ad Eccleſiæ totius ornatum fæcundior alia, & nobilior meſſis effloruit. Sed principio rerum neque is numerus Alumnorum erat, neque ſtudiorum ordo, quem conſecuta tempora & conjunctæ cum temporibus opes attulere. Cubicula, & Scholas ſurgentis ædificii moles in anguſtos receſſus, & ignobilia tecta rejecerat, donec cum ipſa, quæ hodie viſitur, literarum ſede literæ ipſæ in eandem altitudinem perveniret.

Educandæ interim juventutis curam initio ſuſceptam Societatis Jeſu Patres dimiſerant, ſive ita jubente Archiepiſcopo, ſive voluntario diſceſſu diluere ipſi ſuſpicionem voluere, quaſi florem ingeniorum decerpere, & deſtinatam Mediolanenſi Eccleſiæ ſobolem in partes ſuas allicere conarentur. Non pauci ſane ab inſtituto deſciverant; & Summorum Pontificum edictis ſemel, atque iterum cohiberi transfugia iſta neceſſe fuit, ne juveniles animos procul a Conditoris legibus præclariſſimæ illius Societatis ſplendor abriperet. Mittebantur tamen ad Braidenſes Scholas Alumni non ſine aliqua domeſtici regiminis perturbatione, propterea

quod

quod diverſa abeundi, redeundique tempora ipſa ſtudiorum diverſitas præfiniret. Grammatica præſertim incommodo erat; neque congruum videbatur deſtinata ſublimium ſcientiarum triumphis loca puerilibus circa latinitatis elementa certaminibus occupari. His quoque incommodis obviam itum, inſtitutis extra Urbem minoribus Seminariis, quorum originem memorari ad Auctoris laudem, & narrationis ſummam attinet.

Tria ejuſmodi domicilia S. Carolus poſteritati paraverat, unum quidem haud procul Inverico ad Deiparæ Ædem, cui a Nuce nomen eſt, alterum in Pago S. Firmi circa Eupylim, Celanæ tertium in Brippienſi Præfectura, quod in hanc uſque diem manet. Priora illa ſuſtulit ætas, ſive in alias tranſtulit terras, pro ut infra memorabo. Vix notum antea fuit Celanæ nomen, ignobilitate ſcilicet domorum, atque hominum, quos in edito collis vertice nemoris cura, & colendi agelli neceſſitas tenet. Ædem Virgini in Cœlos aſſumptæ jam olim dicata ornamentum ſimul, ac ſolatium ſolitudinis erat; ibique ſacris faciundis publico ſumptu alebatur Sacerdos, qui per ea forte tempora inhoneſtius agebat, quam miniſterii dignitas, aut incolarum religio poſtularet. Igitur cum eam Regionem inviſeret Carolus, adfuere illico Celanenſes, ac veluti de ſumma rerum ſolliciti violatum improbis moribus Sacerdotii decus, pollutam Deiparæ aram, quod unicum religionis perfugium habeant, inconditis clamoribus, & agreſti facundia querebantur. Enimvero Archiepiſcopus curæ ſibi eſſe reſpondet, ne

ultro

ultro querendi occaſionem inveniant , & ſi ſacram ædem, qua tantopere glorianiur, ſibi tradere veluti . Sacerdotem dignum nomine ſuo, dignum ea, quam præleferant pietate perpetuis temporibus habituros. Conditione accepta , Archiepiſcopi quoque promiſſis fides ſtetit . Amplificato ædificio Seminarium erigitur, ita res humanas vertente Providentia, ut vitia ipſa ſanctiſſimis quandoque operibus initia, & vias aperiant, Cæterum conſtat id Celanæ opus curarum ultimam fuiſſe, quam Parens amantiſſimus Seminarii rebus impendit. Et præter additamenta regularum aliqua, decretumque illud, quo nullum niſi Archiepiſcopi nomen inſcribi theſibus juſſit, quas Alumnorum aliquis publice propugnaret, nihil a Gaſpare Vicecomite Caroli ſucceſſore actum invenio. Fixum ita, deſtinatumque inter arcana Divini Numinis erat, ut quidquid ea res honore, ac memoria dignum haberet, id omne Borromææ Genti deberetur acceptum. Sane Federicus Caroli Patruelis, ſucceſſor Vicecomiti datus, vix inito magiſtratu, nihil antiquius habuit, quam ut ſacræ juventutis ad Ambroſianæ rei præſidium educandæ neceſſarium iſtud, ac celebre opus, non Pontificiæ modo auctoritatis, verumetiam Paternæ benevolentiæ experimentis omnibus adjuvaret.

Mihi vero ad Aronenſe Seminarium utpote ab ipſo conditum proficiſcenti, narrationem aliam exordiri neceſſe eſt, quæ licet ab hac hiſtoriæ parte aliena videri poſſit, tamen ob loci, & rerum affinitatem ab totius operis propoſito nihil omnino diſſentiat. Arona

eſt

eſt in ora Verbani Lacus celebre Oppidum, & multis fortaſſe Urbibus nulla re, niſi nomine inferior. Arx Oppido imminet finitima omnia late deſpectans, nequicquam aliquando tentata Gallorum armis, præruptiſque anfractibus, & difficili aſcenſu injectura deſperationem hoſti, niſi proxima montium juga facilem ictum in propugnacula, & turres oppugnantibus darent. In ea paternæ ditionis arce, cum S. Carolus naſceretur, ſatis conſtat inuſitato ſplendore fugatam repente noctem, eoque miraculo prælusiſſe cœlum inuſitatæ virtuti, quæ tantum lucis allatura Patriæ poſt rerum omnium caliginem erat. Splendorem illum ſecuta nominis claritas Mediolanenſium oculos, animoſque in eam Verbani oram converterat, avebantque inſigni aliquo monumento exornare Provinciæ partem, ex qua æternum illud Reipublicæ lumen accepiſſent. Incidit Federico Archiepiſcopo mens, ut in eo montis vertice, qui Aquilonem verſus juxta arcem eminet, ædiculæ ponerentur, quæ ſtatuis, picturiſque Caroli vitam, reſque ab eo admirabiliter geſtas referrent. Pulchrum ſcilicet videbatur, ſi poſt natalis cubiculi aſpectum, & illuſtratam miraculo turrim, advenarum oculis deſignarentur, quæ ab ipſis vitæ primordiis nocturnus ille fulgor portenderat. Propoſito in publicum, laudatoque conſilio, Nobilium, Sacerdotum, Opificum Collegia, Principes, Reges deligunt inter ſe invicem expenſarum, gloriæque partem, univerſoque operi Marcus Aurelius Grattarola præficitur, ille in hanc ſortem propemodum natus, ut Caroli nomen immortalibus monu-

monumentis apud poſteros commendaret. Delineata in hunc modum res erat, ut, locatis per æqua intervalla ædiculis, aſcenſus denique ipſe in amplam planitiem deſineret, quæ hinc Seminarii aſpectu, hinc Templi majeſtate advenarum oculos detineret. Supremum vero publicæ admirationi ſpectaculum in ipſo areæ conſpectu parabatur, coloſſeum ex ære cyprio Caroli ſimulacrum, eaque ætate noſtra leni tumulo impoſita moles meta ſimul, & ſolatium itineris ſtetit. Id magni animi inventum pari ſpiritu aggreſſus Grattarola ædificiorum omnium fundamenta jecerat, pleraque fortaſſe ad faſtigium perducturus, niſi ſenecta, & mors in eximia quoque ingenia deſævirent. Dum enim ſtrenue ſuſceptum munus exequitur, nocturnis precibus, aliiſque pietatis officiis ad diurnum laborem additis, lethali morbo correptus id denique meruit, ut in natali pene Caroli cubiculo, quem præcipua ſemper charitate dilexerat, ſupulcrum inveniret. Tantus in illo fuit modeſtiæ, ac ſolitudinis amor, ut, cum primarii Mediolani Templi Canonicis eſſet adſcriptus, abdicarit illico tituli dignitatem, latebraſque montium, & lacernæ ſqualorem ſplendido nomini, & conchiliatis inſignibus abſque ulla hæſitatione prætulerit. Subſecivis horis librum dicatis Deo Virginibus ſcripſit, quo, & facilius propoſita ſibi religionis inſtituta perficerent, & commiſſas ſibi puellas ad monaſticæ vitæ cultum, ſive ad honeſta conjugia apte, congruenterque educarent. Sanctitatem, prudentiamque ejus teſtatur lapis ambitus ejus veſtibulo impoſitus, qui circa ſacratos

Borromæi Parentis nativitate parietes ex proxima arce in recens Templum allatos, poſt aræ maximæ tergum excurrit. Inſculptum marmori elogium referre his literis placet, & hanc quoque ſecuritatem addere famæ, ne unius lapidis beneficio tota conſiſtat.

M. AURELIO GRATTAROLÆ
PROBITATE, AC RELIGIONE INTER PRIMOS CONSPICUO
CONGREGATIONIS OBLATORUM TER PRÆPOSITO GENERALI,
EOQUE MUNERE SUMMA OMNIUM APPROBATIONE PERFUNCTO
DIVINA PROVIDENTIA DELECTO,
UT EJUS POTISSIMUM DILIGENTIA S. CAROLUS COELO ADSCRIBERETUR,
CUJUS ETIAM NOMINI, AC GLORIÆ
EXCITATIS PASSIM ÆDICULIS IPSIUS VITAM REFERENTIBUS
SACRUM HUNC MONTEM DIVI INCUNABULIS NOBILEM DICAVIT
HUJUS FABRICÆ CURATORES B. M. POS.

Manebat tamen informe templum, & fornicis loco rudibus tabulis tectum, quas medio pavimento aſſurgens arbor, & multis compacta trabibus non ſine ſpectantium horrore aliquo ſuſtinebat. In noſtra uſque tempora deformitas illa pervênit, donec Carolus Franciſcus Blancus e Sodalitio noſtro in eam provinciam miſſus hanc publicæ negligentiæ notam ex hominum oculis tolleret. Is Grattarolæ diligentiam æmulatus, ſollicitando pauperum ſimul,ac divitum animos, ut alii opera, alii opibus præſto eſſent, variando conſilia, & preces, tentandoque omnia unde ſpes aliqua auxilii eluceſceret, eo denique rem perduxit, ut circa oras, & littora ſua nihil ornatius, nihilque magnificentius Verbanus aſpiciat. Ædiculæ quinetiam aliquæ ex vepribus, virgultiſque verticem extulere, admonentque hodie Poſteros, ut tam eximium opus, & majorum promiſſa explere

re piis largitionibus velint. Adjumento præcipue fuit Comes Carolus Borromæus, quem, præter inſitam animo pietatem, multa etiam, & maxima beneficia monebant, ut Largitori, ac Patrono optimo gratiam aliquam pro dignitate ſua referret. Obierat ille legationes ampliſſimas, Præfecturaſque Urbium, Neapolitanum etiam Regnum Cæſaris nomine adminiſtraverat, nec dubium erat faviſſe alterum e cœlo Carolum, ut hunc familiæ ſuæ, ac nominis hæredem ſupra communem privatæ fortunæ modum extolleret. Cumque jam ageret domi ſenex, & Romani Imperii jura pro commiſſo ſibi munere procuraret, parabat ſibi ipſe ſimul immortalis vitæ præſidia, & manſuram aliam poſt caducos honores felicitatem. Nec erat ea Principis Viri religio, quæ conſiliorum, & externi officii prodiga auro interim, & opibus parceret. Pecuniæ, & marmora, & artificum alimenta, & quæ alia Templi moles exigeret liberaliter miſſa; nec parum inter cætera auxilia exempli magnitudo profuit.

Sed redeo ad Federicum, cujus precipua cura fuerat, ut Seminarium quantocius abſolveretur, quod diutius expectari Eccleſiæ neceſſitas, & ſumma ipſius in Eccleſiæ rebus ſollicitudo non ſineret. Anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo ſecundo, deſignato juxta Templum, de quo antea diximus, Clericorum domicilio, ad illuſtrandum Mediolanenſis Seminarii nomen, excitandaſque juvenum mentes conſilia, atque animum vertit. Academiam in primis inſtituit, quam Græco vocabulo Hermathenam, ideſt Mercurii, ac Minervæ

ſedem appellavit. Vetus id & pergratum M. Tullio Ciceroni vocabulum, cum ipſi quoque placuiſſet, ſtemma vocabulo conſentaneum adjecit, clypeatæ videlicet, haſtatæque Palladis effigiem, Sapientia, & Eloquentia hinc inde ſtipantibus latus. Græcas inſuper, Hæbraicaſque literas recipi in ſcholas, & explicari ſtatis temporibus juſſit, indecorum ratus in eo præſertim Sapientiæ, & Eloquentiæ domicilio obmuteſcere linguas, quibus antiquiſſimi Patrum, & ipſe humani generis Redemptor univerſo terrarum Orbi ſalutis initia tradidiſſent.

Cum hæc agerentur, legati ab Uranienſibus miſſi Archiepiſcopum rogant, ut pro ea, qua omnes amplectitur, charitate res quoque Helvetiorum, quæ ad hanc Metropolim pertinent benigne aſpiciat, oſtendatque nihil eſſe in ejus Provincia tam remotum ab oculis, quo non paterna ejus cura perveniat. Polegium eſſe medium inter Lepontios Pagum, aliaſque valles, quæ ab ſuarum Alpium jugis in Italiam vergunt, opportunam proinde Seminario ſedem, in quo tenera incolarum proles elementa literarum, & religionis inveniat. Opus fore paſtorali animo dignum, ſi inter finitima hæreticis, & nullis culta gymnaſiis loca ſedem aliquam ſtatuat erudiendis liberaliter, ſanctеque pueris, quorum cerei animi quas primum accipiunt rerum imagines diutiſſime ſervant. Delectatus tam pia legatione Cardinalis illico precibus annuit, ſtatuto inſuper, ut ſex ex Lepontiorum genere alumni ad maturam uſque Sacerdotio ætatem Seminarii ſumptu perpetuis temporibus

bus alerentur. Moleſtum fortaſſe legentibus erit, tam diverſa, & multa ſeminariorum exordia, variis alioqui conſtituta temporibus, nullo tamen ſervato diſcrimine in unum veluti acervum conglobari. Sed cum ea mutuis officiis ita invicem nexa ſint, ut tanquam unius corporis membra alterum alteri deſerviat, ſingula prius in conſpectum dari oportebat, ut inde majeſtas, atque ordo rerum apertius dignoſceretur. Septimo igitur poſt Federici obitum anno, Cæſare Montio Cardinali Archiepiſcopo, Seminarium aliud Modoetiæ erigitur caſu quodam, ſeu potius Divinæ Providentiæ nutu, cujus occulta conſilia ſæpe ignara mortalitas caſum vocat. Jo: Baptiſta Piſſina loci indigena centum annuos nummos Carmelitis excalceatis legaverat, ſi forte ſedem figere in Oppido vellent. Sin illi abnuerent, Archipresbytero relicta poteſtas, ut eam pecuniæ ſummam arbitratu ſuo in pium aliud opus impenderet. Cum Patres abnuiſſent, conſentiente Archipresbytero, Oppidani agunt, ut Cœnobii loco Seminarium excitaretur, ſpondentque inſuper ſe ducentos aureos nummos ſingulis annis numeraturos, ſi modo magiſtri duo illuc mitterentur, qui Grammaticæ rudimenta incolis, finitimiſque ſeparatim a domeſtico miniſterio traderent: Nec dubitavit ultro Archiepiſcopus quin propagandæ Seminarienſis diſciplinæ occaſionem arriperet. Firmatis utrinque conditionibus, id quoque decus additum Oppido, cujus famæ invidere nobiliſſima quoque Municipia poſsint.

Conſtitutis in hunc modum Seminarii rebus amplificari

plificari quoque Oblatorum res, & ſtudia cæpere. Quadringenti ſerme juvenes erant, quorum ingenia, & mores in ſpem publicæ ſalutis liberalibus diſciplinis formari oportebat. Multitudinem hanc, ſicut in loca, parteſque varias dividi, ita multiplici magiſterio gubernari neceſſe erat, quæ deinde neceſſitas plures e Sodalitio noſtro viros ad virtutis incrementum, & nominis famam perduxit. Tractando ſiquidem juveniles animos, & aſſiduos fere caſus, qui in tam ampla, ac diverſa miniſteria incidunt, eum denique prudentiæ locum tenuere, ad quem nemo unquam niſi per uſum, & experimenta pervênit. Qui vero magiſtri munus, idque in celeberrimo Urbis conventu obire jubeantur, eos aliqua ſapientiæ laude præcellere ex vulgato illo ſatis conjicitur, nihil tam eſſe ad diſcendum efficax, quam docendi neceſſitatem. Eſt autem apud nos perpetua fere conſuetudine receptum, ut Scholis addicti ſtudia eadem docendo remetiantur, quæ antea diſcendo percurrerint. Aronæ, Celanæ, Polegii Seminaria duos a nobis Sacerdotes ſingula accipiunt, quorum alter literis, diſciplinæ alter & domeſticæ rei præficitur. Par cura Rectoribus, & auctoritas eadem, niſi quod Aronenſi id quoque commiſſum, ut Sacri montis, quem antea deſcripſimus, ædificiis, vectigalibus, incrementis attente proſpiciat. Deſignati ad ſacra munia pueri addiſcendis latini ſermonis exordiis inibi detinentur, depoſitiſque paternæ domus illecebris, dociles annos ad ſeverioris vitæ inſtituta paulatim inflectunt. Dimiſsi inde Modoetiam ornamenta verborum, & floſculos inſerere Grammaticæ

maticæ tricis docentur, ut his veluti eloquentiæ blandimentis provocare dicendi voluptatem, & deguſtare dulcedinem artis incipiant. His denique ſtudiis expoliti, atque in Urbem recepti inter Rhetoricæ aſſeclas ſedent, non ita ut verſiculis ludere, & , quod alicubi fit, ſcommata, & argutias jacere in hemicyclo diſcant, verum ut ſolido, ac virili facundiæ genere inflammare ad virtutem animos, & bellum indicere vitiis aſſueſcant. Qua in re magnopere his, qui præſunt, laborandum exiſtimo, ne Divini Verbi majeſtas, quæ Seminarienſi Rhetoricæ commiſſa præſertim, & credita ſit, inter eas verborum illecebras, & laſcivientis ingenii lenocinia elegantiſſime pereat. Id quoque ſapienter ætate noſtra ſancitum, ut eorum claſſis, qui eloquentiæ inſtitutis operam darent, bifariam divideretur, ne impoſita ſingulis penſa præceptoris unius cenſuræ multitudo ſubduceret. Nihil enim in illo ſcientiarum domicilio utilius excolitur quam hæc dicendi facultas, quæ, cum cæteris ornamento ſit, nobis tamen deeſſe ſine nominis ignominia, & paſtoralis officii labe non poſſit. Nam ut latentes rerum cauſas, & impervia hominum oculis naturæ myſteria ab animarum Rectoribus ignorari facile omnes ferunt, ita neſcire concionandi ordinem, argumentaque, & artes, quibus ad honeſta incitari, aut a flagitiis deterreri mortalium animus ſolet, nemo non dixerit iis eſſe turpiſsimum. Nec tamen ego hac eloquentiæ commendatione detractum aliquid velim ampliſſimis facultatibus, quibus expleto decimo octavo ætatis anno ſacra illa juventus addicitur. Biennium

nium Philoſophiæ, duplo majus temporis ſpatium Theologiæ impenditur, ita diſpoſito ſtudiorum ordine, ut quæ matura Sacerdotio habetur ætas literariis quoque laboribus curſum definiat.

Inane autem fuerit vulgata typis, & communia familiarum ejuſmodi miniſteria deſcribere, quibus tota res geritur. Id quoque conſtat ex Tridentini Concilii decreto ad eum, qui majori Seminario præſit, Seminaria omnia referri, ac velut unius corporis partes unius capitis conſilio regi. Quæ ſane provincia nunquam fere vacua negotiis, & in ancipites ſemper intenta caſus, quos ampliſſimæ familiæ adminiſtratio, & juvenilium ingeniorum mobilitas ſecum affert, eos plerumque viros dedit, qui graviſſimum quodque in Republica munus tuto capeſſere poſſint. Jo: Ambroſius Turrianus ex eorum numero emicuit, Vir ſingulari prudentia, &, quod non ſemper antiquo virtutis infortunio evênit, parem prudentiæ gradum aſſecutus. Poſtquam enim ex Seminarii Rectore Laurentianæ Baſilicæ Præpoſitus fuerat, Novocomenſi Epiſcopatu inſignitus exemplo fuit, eos demum eſſe ad Rempublicam gerendam aptiſsimos, qui non ſubitaneo favore Principum, aut familiæ celebritate ſubnixi, ſed lentis per inferiora munera gradibus ad ſumma perveniunt. Juvat hoc loco referre epiſtolam quam ille anno 1675. ad Jo: Petrum Greggium S. Sepulcri Præpoſitum dedit, quo plane tempore ſacrorum hominum mores reformare aggreſſus multorum odia, & contentiones excitaverat, quæ ſemper optimorum Præſulum honeſtiſſima calamitas fuit.

In

In ea igitur epiſtola, ſumpto, uti fit, ab urbanitatis officiis exordio, mittere ſe ſe ajebat Diœceſanæ Synodi impreſſa typis decreta, quam cum Sacerdotibus ſuis paulo antea concelebrarat. Stetiſſe ſibi decreta illa ſudore, ac lacrymis, & ſanguine pene ipſo ob factiones, atque iras ſeditioſorum hominum, quas libenter pro ſuo erga Dei gloriam, & animarum ſalutem ſtudio perferret. Se tamen, uti Alumnum Congregationis noſtræ, ab iis legibus minime deſciſcere voluiſſe, quas a Sanctiſſimis Inſtitutoribus accepiſſet. Ita ſuperatis difficultatibus, ac repreſſo improborum impetu, qui contra obniti, ac diſciplinæ jugum excutere conarentur, tenuiſſe denique votorum ſummam, vulgata nimirum Synodo, indictiſque decretis, quæ inviolata ſervari ab omnibus velit. Præfixum decretis ipſis eſſe ſermonem, quem in illo conventu habuerit, quo plane ſermone teſtatum faciat, infixos ſibi adhuc manere Sacerdotalis animi ſenſus ex Congregatione ipſa perceptos, quam proinde Magiſtræ ſimul, ac Matris loco ſemper ſit habiturus. Hæc totidem fere verbis exſcriptæ literæ continebant, quas omnino tradi oportebat, non modo ut Viri fortitudinem in gerendis Eccleſiæ rebus oſtenderem, verum etiam ut inſigne aliquod grati animi ſpecimen nonnullis Ordinis noſtri Viris objicerem, qui altiorem locum adepti res deinde noſtras velut anguſtas, humileſque deſpiciunt, oculoſque ab ipſo Matris conſpectu, & veneratione avertunt, cujus beneficio ipſi conſpicui, ac venerabiles evaſere. Verum his lætiora tradi propoſiti ratio poſtulat; nec fortaſſe decebat pulcherrimarum

rerum monumentis intermiſcere memoriam turpiſſimæ vanitatis, quæ ſemper macula honorum, & humanæ gloriæ fuit.

Jucundius equidem fuerit cœleſtem illam Conditoris noſtri ſapientiam contemplari, quam nihil eorum effugerit, quæ ad conſtituendam firmiter, ſanctèque Rempublicam pertinerent. Perſpexerat utique providentiſſimo illo, quo erat, animo, in ea juvenum multitudine, quam Seminarii ſeptis incluſerat, non omnibus fore tam expedita ſcientiarum ſtudia, ut præcipuum in re literaria locum aſſequi poſſent. Quemadmodum diſpari vultu, ita diſſimili fere ingenio mortales naſci; idque Divino conſilio factum, ne, cum æque omnes ſaperent, omnis denique apud homines ſapientiæ honor excideret. At ne ſemel admiſſos ad Sacrorum initia Adoleſcentes, tanquam deſperato proventu, ſuſcepti conſilii, ſuæque ſortis pœniteret, Seminarium aliud, quod Canonicæ vocant, opportune excitaverat, quæ alia pars publicæ utilitatis ex Humiliatorum ruinis emerſit. Craſſiore Minerva juvenes, & quibus tardior ad philoſophandum indoles, in hanc ſedem recipiuntur, ibique conſcientiæ caſibus ſtudium impendunt, quibus dijudicandis conſcientia eadem, & natura ipſa magiſtra recti lucem præfert. Ex eo autem domicilio Viri graviſſimi prodierunt, quorum ſententiis morum religio; & interior hominum diſciplina niteretur. Nam cum omne Catholicum Nomen veritate ſimul, ac pietate conſiſtat, ſicut ſublimem aliam Theologiæ partem, quæ in arcana Divinitatis inquirit, laudari ſum-

mo-

mopere decet, ita alteram hanc, quæ Chriſtianæ vitæ officia complectitur, tanto in honore haberi neceſſe eſt, quantum officiorum dignitati, honeſtatique debemus. Magiſtri certe, quos ei ſtudio dedimus, tantam ex eo laudem ſunt aſſecuti, ut inde ſibi ad ſplendidiora Ecclesiæ miniſteria gradum fecerint. Martinus Bonacina Uticenſis Epiſcopus ex eo Seminario prodiit, eoque docendi munere in eam ſapientiæ famam pervenit, quam omnis deinde poſteritas coleret. Diligentiam, ingeniumque Viri celebrari ab exteris malim, quam hiſce literis commendari, ne ſavere potius nomini noſtro, quam ejus memoriam exornare videamur. Libri equidem, quos in omnes conſcientiæ caſus quamplures ille, & ampliſſimos edidit, remotiſſimas quoque Regiones pervaſere, nec ulla ſæpius ſcripta traduntur juvenum manibus, quos eo doctrinæ genere vel innocentiæ cura, vel ſpes aliqua ſacri honoris exerceat. Fuit enim Scriptoris illius ſingulare hoc, ut graves plerumque, & firmatas doctiſſimorum hominum auctoritate ſententias ſectaretur, omiſſis interim importunis diſputationibus, & ambitioſa contendendi ſubtilitate, quæ dum ubique certamina, & rixas ad ingenii pompam inſtituit, omnem denique conſiſtendi locum veritati ipſi, & legentium cogitationibus eripit.

Prædeceſſorem hunc pari veſtigio ſecutus Georgius Cattaneus haud diſſimili eventu ad Epiſcopatum pervênit. Emenſus quippe ſtudiorum viam, qua Bonacina inceſſerat, Metropolitani Templi Canonicis primo adſcribitur, addito mox onere ut in Sacrarum Virgi-

num Aſceteria, quæ multa, & clariſſima extra Urbem occurrunt, Vicario nomine inſpiciat. Et, cum magna ſemper ingenia aliæ ſuper alias curæ ſequantur, univerſa Regio, quam Verbanus alluit, Cattaneo parere juſſa Sacrarum rerum momenta, & caſus ad ejus nutum, ſive conſilia referebat. Ita ſcientiarum ſtudio, & multiplici experimento eruditus, mortuo Hieronymo Archinto, cum Viennæ de ſucceſſore ageretur, ſumma Cæſaris voluntate, penes quem id juris erat, Viglevanenſi Eccleſiæ præficitur, eo majore gloria, quod nullo aulico officio Cæſari devinctus tanti Principis gratiam virtutis æſtimatione meruiſſe unice videretur.

Fateor ego, quod mihi fortaſſe nonnulli daturi crimini erant, in proferendis Epiſcoporum nominibus, qui e Collegio noſtro prodierunt, ambitionem aliquam ſubortam animo eſſe. Nam etſi res ab iis laudabiliter geſtas parciſſime attigerim, perſpectum tamen eſſe omnibus debet hanc gloriæ noſtræ partem nonniſi illorum ſapientiæ, honeſtiſque laboribus eſſe tribuendam. Nec enim abſque ulla ingenii celebritate fieri potuit, ut neque Principum amicitiis, neque opum magnitudine, neque aulicis artibus inſtructi, quæ ad conſequendas dignitates turpiſſima ſemper, & validiſſima auxilia fuerunt, ſummum illud auctoritatis faſtigium aſſequerentur, idque in his rerum noſtrarum anguſtiis, & procul a Romanæ Potentiæ conſpectu, ex qua decora omnia in ſacros homines manant. Honorem proinde ſuum etiam Sebaſtiano Riccio, & Carolo Franciſco Cevæ haberi par eſt, quibus poſt graviſſima munera

Pa-

Paſtoralis denique Infula præmium laboris, aut incrementum acceſſit. Sed alterum illum Etruria ita oculis noſtris eripuit, ut rerum etiam ab illo geſtarum monumenta ſubduceret. Ceva vero poſtquam Vicariam in univerſa Mediolanenſi Eccleſia poteſtatem exercuit, Derthonenſibus datus Conſodalium ſuorum nomen propioribus exemplis illuſtravit. Fuit ille præter eximias animi dotes, quas Regionis ejus incolæ memorant, ſingulari ad dicendum ingenio, ut commiſſam ſibi provinciam Divini Verbi prædicatione præſertim excoleret. Hanc autem Viri eloquentiam poſt cætera famæ præconia multi nobiſcum teſtari ſe poſſe gloriantur. Cum enim argenteum S. Ambroſii ſimulacrum internitentibus gemmis affabre elaboratum Mediolanenſis Populi munificentia Templo maximo eſſet illatum, ac triumphali apparatu ſub ipſa Templi abſide inter obſequia, plauſuſque Civium ſublime emineret, conſcenſo ſuggeſtu Epiſcopus Ceva, dignitatis inſignibus, & veneranda canitie ſpectabilis Orator de Patroni Optimi laudibus ita diſſeruit, ut alterum ipſe perorantis Ambroſii ſimulacrum ab omnibus haberetur. Sed hæc fortaſſe elegantius memorabunt alii, quibus res Civitatis referre, atque ea publicæ munificentiæ monumenta tradere poſteris pars officii fuit. Nos interim ex eo Canonicæ Seminario, unde digreſſa narratio fuerat, repetemus ſubinde alia, quæ vel diutius laudare poſteri poſſint, vel utilius imitari.

Ab ejuſdem Seminarii latere quamplures cellulæ longo ordine excurrunt, quales plerumque in religio-

ſæ paupertatis argumentum extructas apud ſeverioris diſciplinæ Cænobitas videmus. Id S. Caroli opus eo ſpectabat, ut nuper recepti in Seminarium adoleſcentes, eoque Aſceterio ſtatim incluſi diluerent primo anteactæ vitæ labes, tum ſolitaria prece, piiſque meditationibus deliciarum libidini, & priſtinæ licentiæ deſiderio mederentur, ſi quam adhuc ejuſmodi luem animo retinerent. Noſtris quoque temporibus hæc conſuetudo manet, mutato tamen ob impares multitudini anguſtias loco. Si qui ſacris ordinibus initiari voluerint in eas ſecedere latebras juſſi, repetitaque ſæpius contemplatione dignoſcere horrenda pericula, & latentem ſub nomine dignitatis perniciem, quam Divina miniſteria incautis hominibus afferant. Ob eam rem graviſſimi ex Oblatorum familia eliguntur, qui juventuti difficillimum illud Sacerdotalis innocentiæ iter ingredienti facem præferant, compoſitis ipſi moribus ad ea pietatis documenta, quæ infigere alienis animis velint.

Neque ego dubito quin duos ejuſdem diſciplinæ viros proferre in medium liceat, omiſſis interim cæterorum nominibus, quos tamen eo munere egregie perfunctos agnovimus. Eorum alter Antonius Morus, inter hæc plane ſtudia tyrocinio ſanctitatis depoſito, omni denique vita oſtendit, quanti faceret præcepta, quæ cæteris tradidiſſet. Adulta jam ætate Biaſcam ad ejus Eccleſiæ præfecturam mittitur, cæterarumque Vallium, quæ ſub Helvetiorum dominatu Ambroſiana adhuc jura recipiunt. Erat in iis Italiæ confiniis inſalubre cœlum, multique lethali morbo affecti paſſim

exa-

exanimes cadebant, ut Moro ad capeſſendam provinciam proficiſcenti non tam addita dignitas, quam indicta moriendi neceſſitas videretur. Ille enimvero contempto vitæ diſcrimine, cujus amittendæ honeſtiſſimam occaſionem adeſſe cerneret, tantam animi hilaritatem in adeundo periculo exhibuit, quantam oſtendere aliquis defunctus periculo poſſet. Circumacto deinde peſtilentiæ curſu, cum intactus evaſiſſet, deeſſe ſibi victoriæ partem putabat, niſi mortem, quam antea contempſerat, revocare ultro, ac laceſſere auderet. Inde enim, abdicato carnium eſu, corpus inſuper ſuum flagellis, vigiliiſque vexare, velut a ſe ipſo publicæ nequitiæ pœnas expeteret, quæ tantam antea cladem intuliſſet. Modoetienſis Eccleſiæ Præfecturam, quæ ſplendore ſuo ſollicitare modeſti quoque animi deſideria poterat, prompte repudiavit; & , cum promerendis honoribus nihil ultro tentare poſſe videretur, novam virtuti viam contemptu honoris invênit. Nec decora alia defuere, quæ piorum hominum funus, plerumque comitantur, concurſus ad tumulum, vota, preceſque Fidelium, comploratio Populi, & luctus, quodque mirabilius eſt, triginta interjectis poſt mortem annis, incorruptum cadaver, nec ſine aliqua odoris ſuavitate.

Virtutis vero, gloriæque ejus imaginem Carolus Joſeph Oldonus apprime nobis exhibuit, cum ad Sacerdotium prodeuntes per ſolemnia pietatis officia, & cœleſtium rerum meditamenta perduceret. Erat illi ſingulare quoddam facundiæ genus, quæ eleganter incompta ſuavitatem aliquam inter minas etiam, terroreſ-

roreſque retineret. Sed præcipuum dicenti robur addebant caſtiſſimi mores, decolor jejunio facies, & didita per omnes fama tanquam terris corpore affixus cogitatione, atque animo inter Superos emineret. Flagitii loco habebatur negligenter audire hominem, cujus alloquium ſummi, infimique Civium certatim expeterent, de aliena ſalute perinde ac de ſua ſollicitum, &, ſi quando in agros, & Oppida exiret, trahentem obſequia, plauſuſque Populorum, quos eloquentiæ vi, & rerum geſtarum admiratione commoverat. Futuros etiam eventus prædicere credebatur, teſtabanturque nonnulli revelatas ſibi ab eo cogitationes, quas inter arcana cordis alte reconditas habuiſſent. Cardinalis ipſe Archiepiſcopus ad ſecreta conſcientiæ moderatore illo, & judice utebatur, & extrema ægritudine laboranti benigne adfuit Apoſtolica dona ſecum ferens, quibus nihil morienti ſciret eſſe jucundius. Et cum proximæ mortis horrore perculſum paterno ſermone ſolari voluiſſet, obortis repente lacrymis obmutuiſſe ferunt, neque ad prædicandam Viri gloriam vox ulla facundior illo ſilentio fuit. Exanime corpus ſeparatim a cæteris in arca compoſitum terruit pene Piorum oculos vibicibus vulnerum, quæ ipſe ſibi ferreis flagris inflixerat; & erant fortaſſe aliqua inflicta impiorum manibus, quibus incitamenta libidinum ſalutari furto ſubduxerat. Gratiæ interim habendæ ſunt Jo: Baptiſtæ Sutio Metropolitani Collegii Theologo, qui hæc Conſodalis ſui merita, reſque mirifice geſtas collegit undique, ac typis mandavit, ne

ſicut

ſicut Sodalium aliorum, quorum actam honeſtiſſimæ vitam eodem cum cineribus tumulo contegi paſſi ſumus, hujus quoque Viri memoria penitus interiret. Neque vero de hac Majorum noſtrorum ſocordia querimur quaſi ex aliena virtute fluxam hanc, & caducam humanæ laudis dulcedinem affectantes, ſed ea dolemus oblivioni tradita, quibus ad ejuſdem gloriæ cupiditatem incitari poſterorum animi poſſent. Nam & ſociorum exempla tanquam domi nata libentius excolimus, & pudor ipſe non ſinit tam procul abeſſe a Majorum virtutibus, quibus nominis, officiique ſimilitudine conjunctiſſimi ſumus.

Verum Seminarii res (inde enim ad hæc ſingularia diverteram) quamquam & optimis inſtitutis, & perpetuis virtutum exemplis, & ſumma Mediolanenſium Præſulum cura conſtitutas calamitas una dehoneſtabat, quam ſilentio tegi fortaſſe oportebat, niſi multum ad beneficii jucunditatem præteritæ neceſſitatis memoria conferret. Addictam literis juventutem diem unum a ſtudiis per hebdomadas feriari neceſſe erat, idque petitis ex omni antiquitate documentis, quæ ſemper liberalium ſtudiorum indemnitati per quietis intervalla conſuluit. Huic neceſsitati jampridem proſpexerat D. Carolus, aſſignata feriatis diebus Trinitatis, ut vocant, æde, quam ſalubri cœlo, & amæna planitie circa Comenſis Portæ confinia commendatam ſibi a Summo Pontifice habebat. Sed poſtquam ipſe deceſſerat, ſublato ſimul in eam ædem acceſſu, dimiſſos in ſuburbana adoleſcentes nulla tecta, nullique limites coerce-

bant. Itaque per vias agroſque errabundi, contempta mandatorum ſeveritate, ad nota ſibi hoſpitia dilabebantur, cum neque ſub dio retineri poſſent, nec domus alia præſto eſſet, in qua decentius conſiderent. Inde vino, & epulis graves nonnulli in Urbem redibant, velut unius diei luxuria quotidianæ frugalitatis patientiam ulciſcentes. Indignitatem hanc ab Eccleſiæ ſuæ rebus avertere voluerant ſæpe Archiepiſcopi, irrito ſemper incæpto, ſive ob inopiam ærarii, ſive, uti fit, ſalubriter cogitata majores aliæ ſubſecutæ curæ diſcuſſerant. Cardinalis Herba Odeſcalcus Mediolanenſem Pontificatum temporibus noſtris adeptus eo denique advertit animum, ut rem fruſtra ab aliis tentatam quoquo modo perficeret. Villa erat a porta Urbis in Orientem verſa duobus ferme milliariis, cui Bellingeria familia non obſcuri inter Cives nominis, continuata antiquitus poſſeſſione, nomen fecerat. At ſicuti dominia rerum perinde ac res ipſæ apud homines mutantur, tenebat hoc tempore Villam Marchio Hieronymus Angiolinus commodiorem fortaſſe, quam ipſemet cuperet. Carolus namque Lotharingius Vvademontii Princeps, idemque Mediolanenſis Provinciæ Gubernator captus amænitate ſimul, ac propinquitate loci, aut annuente Domino, aut minime repugnare auſo, eum ſibi delegerat ubi perfunctum civilibus negotiis animum inter militiæ Duces, cœtuſque nobilium fœminarum Gallico ritu recrearet. Verſo deinde Reipublicæ ſtatu, ſive particeps honeſtiſſimi conſilii futurus, ſive veritus Angiolinus, ne moleſtus hic honor parandi delicias Principi

cipi continuus exemplo fieret, alienare Villam accepto pretio ſtatuit. Quod ubi relatum Archiepiſcopo eſt, accerſito Seminarii Rectore, firmari extemplo emptionis tabulas jubet; & erant forte quadam in promptu pecuniæ, quas incommodo prædio paulo antea vendito, lex erat in perpetuam aliam Loci utilitatem commutari. Ita impoſitus tandem finis exitiali licentiæ, quæ ſacræ juventutis nomen, & mores tot annorum ſpatio inquinaverat. Parata ibi conclavia; pars alia prædii in hortos exculta, alia conſita arboribus, aperto alia cœlo relicta, ampliſſimo circum excurrente ſepto, omnibuſque ita compoſitis, ut neque labori ſolatium, neq; ſolatio honeſtas deeſſet. Et cum impar Alumnorum numero locus videretur, villa alia minor exonerandæ multitudini quæſita, & inſtructa apud ignobilem Vicum, qui juxta Seveſum ſitus, qua pluviales aquas ex circumjectis collibus late defluentes in navigabilem alveum effundit, ab torrente ipſo nomen accepit. Sane inter aſſiduas ſollicitudines, quas educandæ juventutis ratio poſtulat, illud ſemper cavendum erit, ne vacua literarum occupationibus tempora abſque terminis ſuis, ullaque legum cuſtodia remaneant. Nam cum illa per ſe ætas ad vitia deflectit, tum clauſtra ipſa, obiceſque deſiderium voluptatis irritant, diuque compreſſæ cupiditates velut concluſa in arcto flumina ubi laxiorem viam invenerint majore impetu ex anguſtiis erumpunt. Ita fit ut inanium deliciarum ſpecie decepti Adoleſcentes ægre ad officia revertantur, vitiatoque paulatim animi guſtu ſcientiarum ſtudia velut injucunda, & inſulſa faſtidiant.

De Collegio Helvetiorum.

CAP. IV.

COnſideranti mihi multa, & maxima beneficia, quæ Parentis Optimi liberalitate, & favore in Sodalitium noſtrum collata ſunt, ac pene congeſta, trepidatio quædam animi inceſſit, qualis ſuboriri omnibus debet, qui ejuſmodi dona quo plura, & majora acceperint, eo ſibi arctiora vincula impoſita eſſe animadvertant. Nam cum ille Oblatorum nomini adeo confideret, ut quidquid ad ſalutem Reipublicæ immortale, & eximium moliretur eorum cuſtodiæ traderet, ſumma inde ſollicitudo conſequitur, ne tanti Viri conſilia, ſpeſque in officio noſtro repoſitas per ſummum dedecus feſelliſſe videamur. Sane illa Seminariorum adminiſtratio, de quibus hactenus inſtituta narratio erat, vix ſine horrore cogitari poteſt quantum oneris, & periculi habeat. Nam cum omnis educatio juventutis multum laboris, & diligentiæ poſtulat, tum ejus præſertim, quæ ad Populorum regimen delecta in vitium deflectere ſine publico exitio non poteſt. Nunc alia exequar, quibus oſtendam non modo Populi mores, & Ambroſianæ Eccleſiæ decus, verumetiam Catholicæ fidei firmitatem, & finitimarum gentium ſalutem laboribus noſtris, ſtudiiſque contineri.

Jam ſatis conſtat D. Carolum, ex quo contermi-

nam

nam hanc Helvetiorum montibus Provinciam inierat, nunquam ab iis confiniis dimoviſſe oculos, nec ſumptibus ullis, aut laboribus peperciſſe, ut morum innocentiam, & Sacrorum dignitatem impiorum furore ſubverſam qua maxime poſſet ratione componeret. Nam præter inſitam animo erga omnes charitatem, alio ſimul metu angebatur, ne dira illa hæreſum monſtra ex anfractibus, cavernisque Alpium in proximos Italiæ fines irrumperent, funeſtamque aliquam Gregi ſuo cladem inferrent. Adierat ipſe aliquando perpetuis obſita nivibus juga, miſerat illuſtres pietate, & doctrina viros, adeoque commoverat incolas opinione ſanctitatis, ut perditiſſimi quoque, & Romanæ Potentiæ titulis infenſiſſimi homines venerabundi ad pedes acciderent, ultroque aſpectum ejus, & colloquium expeterent. Precibus etiam, conſiliiſque ſuis effecerat, ut Legatus in eam Germaniæ partem Apoſtolicæ Sedis nomine mitteretur; idque Catholicæ rei ſalutare, ac neceſſarium fere munus in noſtra adhuc tempora perſeverat. Pari propemodum ſtudio erga Rhætos egerat, quæ gens Helvetiis affinitate montium, fœderum vinculis, & religionis genere conjuncta haud abſimilem curam ſimilitudine ipſa periculi depoſcere videbatur. Sed temporariis ejuſmodi auxiliis nihil denique actum erat, quam ut manentibus morborum cauſis ægrum Reipublicæ corpus ab lethifero æſtu, & jactationibus ſuis aliquantulum requieſceret. Mala autem omnia inde proceſſerant unde bonorum omnium initia expectari oportebat. Pauci admodum Sacerdotes Sacrarum

Scriptu-

Scripturarum ignari, ſordidiſque curis impliciti dederant facilem pravis opinionibus viam, cum præcipitem in vitia Populum aut retinere non poſſent, aut ipſi quoque ſequerentur. Huic malo deterius aliud acceſſerat lata nimirum lex, ne quis alienigena altaris miniſteria, ſacrorumque curam inter ipſos capeſſeret. Ita, deleto prope Sacerdotio, exitiales ſectæ quotidie magis invaleſcebant, apparebatque futuram Populi ſortem qualis eſſe gregis conditio ſublatis paſtoribus ſolet. Senſerat Carolus ſpem omnem ſalutis decreto illo intercludi, verſabatque animo conſilia, & rationes, quibus funeſtiſſimæ legis calliditatem eluderet. Diu tandem, ac ſedulo cogitanti prudens quædam, & magnifica ratio ſe obtulit, ut eorum voluntati obſequendo bellum hoſtibus indiceret, confirmandiſque Fidelium animis auxilia, & vires in ipſa rebellium terra reperiret. Delectos Adoleſcentes ex Pagis, familiiſque, quæ Catholicum adhuc nomen retinerent, Mediolanum arceſſere parat, gymnaſiaque, & ædes inſtruere, in quibus Sacerdotalis vitæ præcepta, veræque fidei documenta perdiſcant. Mens erat ejuſmodi ſtudiis diligenter excultos ad natales ſubinde terras remittere, ut incolis noti, moreſque, & ingenia incolarum noſcentes invicem, facilius obreperent animis, & comparatas ſalutari diſciplina cogitationes imprimerent. Mentem hanc Gregorius XIII. Pontifex Maximus adeo benigne accepit, ut non privilegia modo, & honores, quorum facilis apud Principes liberalitas eſt, verum etiam opulentos proventus, & valida pecuniarum auxilia

xilia conferret. Extant Apoſtolicæ literæ Romæ datæ menſe Junio, anno ſalutis ſeptuageſimo nono ſupra millesimum quingenteſimum, quibus de antiqua Helvetiorum, Rhætorumque fide pauca honorifice præfatus Borromæi Archiepiſcopi conſilium de illorum juventute Mediolani educanda ſummopere laudat, erectoque rite Collegio annuas ex Pontificio ærario penſiones aſſignat, quoad futuris neceſſitatibus perpetuo aliquo patrimonio conſuleretur. Quam vero amanter, & ex animo ageret, teſtantur uberes per Inſubriam fundi, quos ille Collegio Pontificatus ſui tempore adjunxit.

Huic Pontificis liberalitati locum fecere duo clariſſimi Cardinales Altempſius, & Ghislerius, ille ampliſſimis prædiis (Miraſolis appellant) in juvenum alimenta dimiſſis, hic abdicata opulenti Sacerdotii parte, ut extruendis Mediolani ædibus ſpatium daret.

Vicus in Urbe eſt intra Orientalis portæ confinia, cui Rencato nomen. Ædem ibi S. Spiritus nuncupatam, & cellas, atque hortos antiquitus habebant Humiliati, nunc ſacræ Virgines tenent, eaque omnia, annuente Ghislerio, Summus Pontifex S. Carolo tradiderat ſi forte ad Collegii formam loco illo uti vellet. Verum Archiepiſcopus eo erat animo, ut quæ non eſſent ampliſſima velut anguſta, & ignobilia rejiceret. Itaque venditis omnibus, quæ illic acceperat, laxiorem aliam Regionem ædificio delegit, quæ liberis circumſpatiis ad Inſulæ modum in medio relicta puriſſimi ſolis radios exciperet, univerſæque ſtructuræ amplitudinem prætereuntibus in conſpectum daret. Splendidiſ-

ſimæ

ſimæ molis icnographiam inter Italicæ magnificentiæ exempla retulit Grævius, dignam arbitratus, cujus fama extenderetur quousque literarum ſtudia pervenirent. Sane ſi literis ipſis mens aliqua, & ſenſus ineſſet, quo ſibi domicilium deligere inter homines vellent, haud facile exiſtimo ſedem aliquam inventuras, quam huic loco, hiſque ædibus anteferrent. Anterior pars, publica via interjecta, præterfluentibus Adduæ aquis alluitur, quæ Rhæticis montibus effuſæ navigabili alveo in Urbem derivantur, renovantque Regionum earum Alumnis memoriam Patriæ, quæ pietatis, & ſcientiarum auxilia ab ipſis expectat. Adventantium oculos ſiſtit in ipſo acceſſu exporrectis utrinque lateribus ſinuata in theatri ſpeciem moles; margines, ſuggrundia, feneſtræ vivo lapide munita omnia, ipſaque lapidum aſperitas ad delicias oculorum exquiſitis artificum ingeniis erudita. Suprema majeſtatis acceſſio delubrum dextro lateri adhæret ejus nomini dicatum, cujus beneficio in hanc denique majeſtatem reliqua omnia pervenere. Ubi pedem intuleris gemina occurrunt periſtylia tranſverſis ædibus interſecta, concamerato tamen, ac patenti atrio in medium relicto, ut ab ipſo veſtibulo procurrere aſpectus in utriuſque periſtylii longitudinem poſſit: Stratæ ſectis lapidibus porticus ſublimi fornice in omne latus excurrunt, quibus fulciendis explanatas propemodum rupes, & exhauſta montium viſcera exiſtimes. Immodicus autem fuerim ſi interiora ædium, quæ ad tantæ familiæ cultum pertinent, deſcribere ſingula aggrediar, quorum ſcilicet elegantiam, amplitudinemque

que

que metiri, ac ſibi quiſque fingere ab externa ædificii magnificentia poteſt. Sed omnem pene cogitationem exuperat in extrema Collegii parte alte aſſurgens Lycæum tanta partium omnium majeſtate, ut quæ antea miraculo fuerant ferme illius aſpectu, & comparatione decreſcant. Diſputationum ſedes hæc, & Regia Sodalium, quos Græcæ antiquitatis vocabulo Hipheliomacos, ideſt ſub ſole certantes appellant, ſuique nominis dignitatem ſtemmate ipſo declarant. Pictus Apollo cernitur albentibus equis, aureoque curru diem inferens cœlo, oculiſque, & arcu in terram intentis, immanis formæ draconem ſagitta transfigens. Inſtitutoris mentem eo ſpectaſſe conſtat, ut delectæ ad Catholicæ Fidei præſidium juventuti cœleſtis ſapientiæ ſimulacrum in fictitio illo numine adumbraret, quæ triumphali eminens curru lethifera hæreſum monſtra puriſſimæ veritatis fulgore proſternit. Illud libenter monuerim, gentilitiis Archiepiſcoporum inſignibus, quæ alicubi ære vel marmore expreſſa cernuntur, nihil denique aliud deſignari, quam diverſa tempora, & memoriam eorum, quorum conſenſu, nutûve pars illa, aut altera adjecta ædificio fuerit. Cum enim omnia Collegii ſumptibus in eam claritatem proceſſerint, cavendum plane erat, ne, cum multorum opibus aucta res putaretur, Conditoris ipſius munificentiæ pars aliqua gloriæ decederet. Cæterum, haud facile dictu eſt quanto curarum, & pecuniæ pretio ſpatia illa comparari neceſſe fuerit, quibus hactenus deſcripta moles pene ultra vim oculorum extenditur. Virginum Aſceterium intra

L illa

illa confinia fuiſſe conſtat, eaſque in Monaſterium aliud redactas, cui vanum a Circo nomen memor antiquæ magnificentiæ Civitas fecit. Confertæ circa Aſceterium erant plurimæ civium domus, quos cœli ſalubritas, & perennis aquæ rivus, & patens in proxima camporum ſpatia proſpectus procul ab Urbis gremio, & frequentioribus locis haud invitos detinebat. Hæc parata tot ſæculis ædificia unius Collegii ſtructura ſuſtulit, ita ferente humanarum rerum, ac temporis viciſſitudine, quæ mortalitatem ſuam inanimis quoque rebus, & ſenſu carentibus indixit. Quin & Sacellum S. Primo Martyri antiquitus dicatum, cujus hodie fundamenta ignorantur, in iiſdem locis ſtetiſſe traditur, ut Superi ipſi ad tanti operis dignitatem ceſſiſſe loco viderentur. Id ſatis indicant in poſtica hortorum parte ſuperſtites cellæ, quibus ejuſdem Divi in noſtra uſque tempora nomen manet.

In hoc tanto ædificii apparatu moritur D. Carolus, conſtitutis antea Collegii rudimentis in ea S. Spiritus Æde, quam ſuperius memoravi, delectiſque ad ejus regimen Oblatis, quos ut chariſſimos ſemper habuit, ita ad chariſſimarum ſibi rerum cuſtodiam ſemper adhibuit. Ibi nec domicilio ſatis apto, neque certis legibus detinebantur Alumni, qualia ſemper incommoda temporariæ res, ſive rerum initia ſecum ferunt. Interim magnifica illa, & regia vere ſedes perpetuis deſtinata temporibus tota adhuc intra numeros, lineaſque Architectorum latebat, donec Federicus Borromæus Archiepiſcopus Urbi datus moras omnes abrumperet,

peret, Civiumque, & Helvetiæ expectationem impleret. Id evenit anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto jactis Collegii fundamentis non ſine publico plauſu, & gloria Civitatis, quæ finitimas nationes non agrorum modo ſuorum ubertate, & tritici copia, verum etiam religionis, & ſapientiæ ſubſidiis ſuſtentari videret. Perrexit deinde fundamenta alia perficere, quæ S. Carolus inchoaverat, ſtatuta nimirum, & leges, & ſanctioris vitæ præcepta, quibus firmius dignitas Loci, quam columnarum, & parietum mole conſiſtit. Inſtitutiones fuere haud ferme diſpares iis, quæ Seminario traditæ fuerant, paucis tantummodo adjectis, quarum ſumma hæc fuit. Quicunque ex Helvetiæ, Rhætiæque finibus, Pagiſque earum ditioni ſubjectis in familiam reciperentur jurarent ad Sancta Dei Evangelia, ſe iis, quæ ad Dei gloriam, & laudem ſpectant, Fideique Catholicæ conſervationem, & propagationem, ſalutemque animarum in patriæ ſuæ regionibus procurandam, adjuvandam, & promovendam pertinebunt, daturos operam; ſacroſque præterea Ordines, cum Mediolanenſi Archiepiſcopo expedire videbitur, ſuſcepturos. Qui ſecus faxint, præter infandum perjurii crimen, quo devincti teneantur, raptores, & injuſti appellati, quod deſtinata Eccleſiæ adminiſtris alimenta dolo malo occuparint. Proinde ne admittantur niſi dato prius fidejuſſore, qui, ubi ab inſtituto deſciverint, expenſarum ſummam Collegio rependat. Quot deinde Alumnos unaquæque Regio mitteret certis legibus definitum, declarata Archiepiſcopi poteſtas, quem Summus Pontifex adminiſtrandis

Collegii rebus perpetuo jure præfecerat, confirmata denique lex, ut Rectores, & Magiſtri, quos excolendis juvenum moribus, ingeniiſque adhiberi neceſſe foret, ex Oblatorum Sodalitio deligerentur. Quantum vero laboris, & ſtudii Majores noſtri conſtituendis, illuſtrandiſque rerum initiis impenderint vix ego dicere auderem, niſi pro certo crederem, eorum temporum laudem incitandis poſterorum animis magnopere profuturam. Quam enim labem nomini noſtro inuſtum iri putamus, ſi egentiſſima illa Germaniæ pars, quæ tot præclaros veritatis, & innocentiæ propugnatores e gymnaſiis noſtris acceperat, ſegnius aliquando curari ſalutem ſuam, & langueſcere auxilia videret? Quæ Sanctiſſimi Conditoris querela, immo totius Eccleſiæ foret, ſi ulla unquam ætate quidquam ſollicitudinis in eo negotio remitteretur, in quo Catholica Religio tantum utilitatis, & ſpei repoſitum habeat?

In vita S. Caroli lib. 5. cap. 12. Utar igitur in primis teſtimonio Jo: Petri Gluſſiani, quem Conditor ipſe ob ſingularem in rebus agendis prudentiam majoribus Collegii curis admoverat. Is cum triginta, & amplius annos in eo munere perſtitiſſet, excellentes pietate, & doctrina Viros ex hoc Helvetico domicilio ſingulis annis in Patriam remiſsos affirmat, qui profugam e Regionibus ſuis ſacrarum rerum dignitatem magnis conatibus retinuerint. Profligatæ conſcientiæ homines eorum opera, & exemplis adductos, ut ſaniora conſilia reciperent, quamplures etiam pravis opinionibus obcæcatos reſpexiſſe lucem, damnatiſque Sectariorum ſententiis ad ſincera, & antiqua, & nullis

fucata

fucata mendaciis Patrum dogmata rediiſſe. Brevi quanquam elapſo tempore in ægra illa Chriſtianæ Reipublicæ parte agnitam illico remedii vim, viſaſque Clavenenſem in primis, ac Tellinam Vallem, quæ lethales morbos ex proximo Germaniæ afflatu contraxerant, magna ex parte his præſertim auxiliis convaleſcere. Quapropter inſtitutum hoc Mediolani Collegium abſque ulla veritatis injuria Romanæ Religionis arcem, & Orthodoxæ Fidei propugnaculum appellari. Hæc totidem verbis ſcripta reliquit Gluſſianus, quibus aperte oſtendit quanta tum fuerit cura educandæ juventutis, quæ tam præclara Sacerdotalis animi experimenta periculoſo illo, ac difficili tempore ediderit.

Quod ſi Gluſſiano longius deflectere ab iis, in quæ tetenderat, licuiſſet, habebat utique ætate ſua memorabiles viros, quorum exemplis magnificam illam de gloria, & utilitate Collegii ſententiam comprobaret. Jam enim ſermonibus hominum celebrabantur Antonius a Paſcua in Monaſterio Ciſtercienſi Allaripæ Abbas, Jacobus Schuoler, & Jacobus Camerlingius, quos Epiſcopi Lauſanenſes ob ſingularem probitatis, & ſapiæntiæ famam univerſæ Eccleſiæ ſuæ vicaria poteſtate præfecerant. Noti erant titulis, & virtutibus ſuis Leonardus Frundius Uraniæ Præſes, Sebaſtianus a Caſtelberg Abbas, & Princeps in monaſterio Dipertinenſi, multoque notior Magnus Smid, qui pauperum pater habitus paterno etiam ære Aſceterium Brigantiæ condiderat, ut inter inſana dogmata peſſundatum illud virginalis munditiæ decus, & profugus ab Hæretico-

ticorum cubilibus pudor ſedem aliquam inveniret.

Jam vero inſtar omnium erat Nicolaus Ruſca, qui vitæ, an mortis genere admirabilior fuerit incertum poſteritati reliquit. Equidem cum alia ab aliis de ipſo tradita ſint, operæ pretium videtur decerpta ex illius ævi ſcriptoribus unica narratione complecti, ne profanis ſemper hiſtoriis intermixta interrupta veluti luce reſplendeant. Fuit ille patria Luganenſis, Theologiæ facultate inter æquales præcipuus, Græci, & Hæbraici ſermonis non ignarus, ſumma inſuper morum integritate, ſine qua omnis literarum dignitas fluxa, & inanis videri hominibus debet. Vix e Collegio dimiſſus Seſſæ apud Luganum obſcuri nominis Pago animarum curam ſuſceperat, certus nimirum Divini miniſterii decus nulla locorum obſcuritate vitiari. Sed tanti animi juvenem, atque ad ea, quæ referam Divino nutu delectum fruſtra tegebant ignobiles latebræ; nec leve indicium futuræ magnitudinis erat in tanta ſapientiæ luce honorum omnium, & humani ſplendoris depreſſa cupiditas. Sondrium eſt Tellinæ Vallis celebre Oppidum, univerſæ regionis caput, quam Addua Rhæticis ex Alpibus fluens ad initia uſque Larii lacus interſecat. Ibi, mortuo Sacrorum Antiſtite, cum de ſucceſſore ageretur, propoſito per Simonem Caballum Nicolai nomine, ſimul auditis de illius ingenio præconiis, tantus illico fuit Populi favor, ut unius Viri teſtimonium veluti miſſam e cœlo vocem acciperent. Nec ſane abſque Divino inſtinctu fieri poterat, ut illa diſcors Nobilium, ac Plebis multitudo, adverſis plerumque

Jo: Angelus Lavizarius hiſt. Vulturenæ lib. 3., & alia monumenta quæ in Collegio aſſervātur.

que

que ſtudiis certare aſſueta, conjunctis repente animis in unum coaleſceret; exterumque hominem, cujus antea neque mores noverant, neque vultum aſpexerant, propinquis ſuis anteferri, Patriæque præfici pateretur. Electum ita Præſulem miſſi extemplo legati Sondrium deduxere multis anxium curis, ac ſollicite cogitantem, quam proxima turbinibus eſſet altitudo illa, in quam tolli ſeſe tanto omnium conſenſu videret. Nefariæ per ea tempora opiniones in Vulturenos irrepſerant, quas fallaces ex Hæreticorum Schola magiſtri nota ipſorum arte infundere animis conabantur. Fingendo ſcilicet ſuaviora vitæ præcepta, & ardua quæque tollendo ex Evangelii documentis, facile erat illudere inſanis aliquorum ingeniis, quibus blanda ad virtutem itinera, & amicæ libidinum leges placebant. Peſtem hanc a Grege ſuo depellere inter primas miniſterii curas novo Antiſtiti propoſitum erat, qua in re, ſicut acerrimum certamen, ita nobiliorem fore victoriam apparebat. Itaque vix inito Magiſtratu recuperandis Eccleſiæ fundis animum adjecit, quos occaſione turbatarum rerum Rebelles invaſerant. Inde nova dogmata exagitare concionibus, conterere ſcriptis, latentes inſidias detegere, nihil denique intentatum omittere, quo imminentem ovibus ſuis Impiorum rabiem propulſaret. Neque ad Sondrienſes ſolummodo paterna illa mens, & ſollicitudo pertinebat. Ex univerſa Regione quæſtiones ad illum deferebantur; adeoque conciliaverat ſibi popularium animos, ut ſalutem publicam crederent in ejus ſapientia, conſiliiſque collocatam. Hoc agendi genere cum Sectario-

rum

rum deſideria, conatuſque præverteret, vis, & calumniæ in promptu fuere, quibus plerumque nituntur qui veritati, ac rationi diffidunt. Defertur nomen ejus ad Rhætos tanquam auctor, aut particeps conjurationis fuerit, qua Scipio Calandrinus Calvinianæ impietatis propugnator acerrimus quæſitus ad necem ferebatur. Miſſo itaque apparitore* Curiam ad tribunal vocabatur paſſurus haud dubie vim ultimam, niſi amicorum ope ſe ſe imminenti periculo fuga proripuiſſet. Sex fere menſes apud Philippum Archintum Novocomenſem Epiſcopum delituiſſe traditur, magno Vulturenorum dolore, qui ſalutem ſuam cum Paſtore amantiſſimo velut in exilium actam deflebant. Iniqui interim judices capita omnia accuſationis excuſſerant, &, cum ſuorum querelis nihil veri ſubeſſe appareret, teſtimonia de Nicolai vita, & moribus ex aliena terra exquirebant, ſi quid inde fortaſſe criminoſum, ac pœna dignum emergeret. Pertinet ſane ad viri famam reſponſum referri, quod Rhætorum literis Luganenſes Magiſtratus in hunc modum redidere.

* Coira

Nos Procuratores magnificæ Univerſitatis Vallis Lugani requiſiti ab illuſtri D. Rugerio in Turre de Schaffuſa Capitaneo Lugani, ad quem allatæ ſunt literæ ſubſidiales miſſæ ab Illuſtriſſimis D. D. Rhætis pro ſumendis informationibus ſuper familia, vita, & moribus M. Rev. S. T. D. Domini Nicolai Ruſcæ de Bedano hujus Vallis, Archipreſbyteri Sandrii fidem facimus, & atteſtamur prout infra, videlicet.

Idem

Idem M. Rev. Archipresbyter Ruſca olim puer optimæ indolis, excellens ingenio, a vitiis alienus, ad virtutes propenſus, qui in Schola, & Eccleſia ſponte frequens verſabatur, ſpem certiſſimam dedit, fore, ut, cum adoleviſſet, maximo ſuæ, noſtræque Patriæ ornamento eſſet, ac gloriæ. Progredientem ætatem major in dies ſpes eſt conſecuta. Nam gradatim ad ſingulos Eccleſiaſticos Ordines, tandemque ad Sacerdotium promotus varia, multiplicique eruditione, multaque doctrina, vitæ, ac morum integritate maxime inſignis, Chriſtianæque, & Eccleſiaſticæ vitæ exemplo omnium conciliavit amorem, & quam puer olim ſui expectationem pepererat, eam egregie ſuſtentavit, vicitque, & ejus celebris nominis fama finitimos etiam populos potentiſſimis D. D. Helvetiis ſubjectos pervagata facit, ut domi, foriſque ſumma colatur obſervantia. Ortus eſt ex nobilibus, optimiſque parentibus &c.

Datæ ſunt literæ Lugani idibus Jan. 1609.; quibus acceptis Nicolaum denique inſontem declaravere. Hanc tamen ſententiam ſexcentis aureis nummis emi neceſſe fuit, ut ſubductum crudelitati ſolatium avaritia caperet. Et cum aſſidua erga pauperes liberalitate redactus ipſe ad inopiam ſolvendo non eſſet, tantus fuit Sondrienſium amor, ut multatitiam pecuniam ex publico ſolvendam decernerent.

Sed nuſquam alias manifeſtius apparuit, partam ſcelere utilitatem aut brevem, aut miſeram eſſe. Satis conſtat octo ex duodecim viris, qui cauſam hanc dijudicandam ſuſceperant, paulo poſt repentino interitu, aut ſimili alio lethi genere abſumptos; & Antonium

Sovingium, quem præcipua inter ſuos auctoritas, & inſigne in Catholicos odium examini præfecerat, in ipſo judicii apparatu inteſtinorum doloribus diſruptum miſerrime periiſſe.

Redeuntem Antiſtitem excepere ad confinia Regionis octaginta ex nobilioribus familiis equites, atque ad priſtina tecta inter feſtivas Populi acclamationes triumphanti ſimilem deduxere. Decennio deinde quies ab hoſtibus fuit, infida illa quidem, inſidiarumque, & facinorum machinatrix, quæ graviora quotidie in Piorum capita parabantur. Gymnaſium in hortis prope Templum erudiendis puerorum ingeniis extruere hæretici voluerant, ſuberatque ſuaviſſimis verbis lethale conſilium, ut teneræ ætati admixta literarum elementis dogmatum ſuorum venena paulatim infunderent. Ea publicæ utilitatis ſpecie cum aliquos decepiſſent, infenſum præ cæteris habuere Ruſcam, qui fraude intellecta auctor Oppidanis fuit, ut neque filios ſuos fallacibus magiſtris erudiendos traderent, neque Gymnaſia ulla ſub eorum ductu erigi paterentur. Ob eam rem incredibile dictu eſt quanto repente impetu inimicorum furor exarſerit. Convolant illico in Rhætiam perdita omnia Magiſtratibus nunciantes, niſi ſuppliciorum ſeveritate imminentem Reipublicæ perniciem avertant. Præeſſe Sondrio ſeditioſum hominem, qui fretus benevolentia popularium, quos ſanctitatis ſimulatione fefellerit, Principum jura evertat, mandata contemnat, quamplures etiam, exemplo ſuadente, temeritatis ſuæ participes habeat. Inita eſſe cum hoſtibus occulta con-

ſilia,

ſilia, parari conjurationes, odia ſubditorum in Rhætos religionis obtentu excitari. Orientem proinde flammam paucorum ſanguine extingui oportere, ne funeſto quamprimum incendio conflagrare Rempublicam videant. Facile erat judices commoveri, qui accuſatores ipſos implacabili in Catholicam Fidem odio ſuperarent. Sexaginta armatis negotium datum, ut noctu Sondrium ingreſſi Sacrorum Præſidem nihil tale cogitantem abducerent. Luce orta, profuit raptoribus edita in publicum vox, captum Antiſtitem illico trucidatum iri, ſi vis aliqua in ipſos moveretur. Id nimirum mandaſſe Rhætos, ut, quam præcipue timebant, publicæ benevolentiæ cuſtodiam eluderent. Tradunt temporum eorum Scriptores, Hæreticis ipſis, qui nondum humanæ naturæ ſenſum omnem exuerant, obortas alicubi lacrymas, cum catenis onuſtum inter tot militum contumelias, & ſæva ludibria trahi viderent. Curiam primo, Tuſcianam deinde quatuor horarum itinere diſtantem Vicum pertraxere, Sectariorum Magiſtris, quos Prædicantes appellant (tanta apud illos eſt miniſterii dignitas) ſatellitum agmen ducentibus. Eminebant agreſtibus in ſellis ex omni barbarie lecti Magiſtratus, quos inter armenta boum, caprarumque greges adulta majeſtas, & egreſſa montium cavernis juriſprudentia ſupremo inter ſuos loco dignos effecerat. Ibi rejecto piorum hominum patrocinio, contemptis Helvetiorum literis, quæ ad tutandas innocentiæ partes afferebantur, nullo ſervato judiciorum ordine, Sanctiſſimum Virum noctu ad tribunal adductum de allatis

criminum indiciis interrogant. Quæ cum ille omnia conſtanti ſermone, & ea, qua erat conſcientiæ ſecuritate refelleret, verſo in furorem odio, trochleis in ſublime elevari revinctis poſt terga manibus jubent. Inhorruit tam atroci mandato carnifex ipſe, ut vi, & minis ad parendum cogi debuerit. Pendebat miſerabilem in modum ante Impiorum ora innocentiſſimus ſenex flebiliter clamitans, nullius ſe culpæ conſcium, quam malevoli obtrectatores objicerent. Sed fruſtra erant argumenta innocentiæ apud illos, qui innocentiam ipſam haud ſecus, quam omne flagitium oderant. Inſequens nox, quæ fuit pridie nonas Septembris, ultima Nicolao ſuppliciorum, & vitæ fuit. Duplex inde fama eſt. Alii retortis lacertis crudeliter, ac ſæpe ſuſpenſum ſuccubuiſſe doloribus tradunt, alii diruptis repente trochleis ex alto delapſum inter ipſas ſublevantium manus exanimem concidiſſe. Addunt eadem hora, qua ſpiritum emiſerit, repentino fulgore coruſcaſſe noctem, quem cum hæretici milites extra tribunal in ſtatione poſiti intuerentur, verſa in jocum miraculi novitate, ſacrificulo illi miſſas in carcerem faces ajebant, ut more ſuo decentius litaret.

Hunc exitum habuit Nicolaus Ruſca, Vir ſane clariſſimus, ac vere dignus, quem in Helveticum Mediolani Collegium admiſſi Adoleſcentes tanquam eximium Apoſtolicæ fortitudinis, ac pietatis exemplar præ oculis habeant. Dederat ille, cum adhuc in eo Collegio degeret; haud obſcuras futuræ gloriæ ſignificationes, modeſtiæ, obedientiæ, literarum, ac religionis aman-

amantiſſimus, ac vere juramenti memor, quo ſe ſe in ipſo Collegii limine obſtrinxerat. Sondrienſem deinde Præfecturam aſſecutus pauperum aſſidue neceſſitatibus præſto fuit, Sacrarum Virginum diſciplinam temporum licentia collapſam reſtituit, impiorum conatus exemplo vitæ, & publicis diſputationibus fregit, multaque alia paſtoralis animi documenta reliquit, quæ adhuc non ſine veneratione, & lacrymis incolæ memorant. Cadaver ejus raptari per vias juſſere judices, atque inter ludibria plebis ſub furca ſepeliri, ex qua juſtius ipſi ob violatæ innocentiæ crimen, & iniqua judicia pependiſſent. Sedatis deinde rebus Benedectini Patres tam impium facinus indigne ferentes ſilentio noctis effoſſum honeſtiore tumulo apud Faveriam condidere. Nec longe fuere teſtimonia cœleſtium irarum, quæ documento poſteris eſſent male imperia ſceleribus, & crudelitate muniri. Nam, & eodem tempore, quo dirum illud Tuſcianæ judicium agebatur, opulentiſſimum Rhætiæ Oppidum ruina montis oppreſſit, & Vultureni tanto impetu inſurrexere, ut, trucidatis quotquot ab Orthodoxa Religione averſos eſſe cognoverant, finitimorum arma in tam crudeles Dominos concitarent. Verum hæc ab inſtituto noſtro longius aliena, & ab aliis Scriptoribus tradita relinquentes nos conſecuta poſteriori ævo Collegii decora repetemus.

Plurium

Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo octavo Viri clariſſimi vulgata mors magnum Adoleſcentibus, qui in eodem Collegio alebantur, incitamentum erat, ut Conſodalis ſui gloriam, ſin minus aſſequi, at certe

pro-

propius attingere conarentur. Nec vero aggrediar ſingulorum nomina, reſque ab iis præclare geſtas referre, quos ingenita hæc nobilibus animis æmulatio ad ſummos honorum gradus perduxit. Nam, neque omnia ſcitu digna explorari locorum longinquitas ſinit; nec ratio ipſa patitur, ut diverſorum quamvis hominum ſimilia tamen virtutum genera repetendo moleſtam hanc ſatietatem legentibus ingeram. Fuſſere alii magna cum probitatis, & ſapientiæ laude nobilibus ſacerdotiis, quæ Ciſalpinos adhuc Helvetiorum, Rhætorumque fines exornant; nec hodie deſunt Templorum Præſides, Rectoreſque animarum, quorum fortaſſe nomina ſcriptis celebrabuntur ubi mors virtutem invidiæ ſubduxerit. Quibus ego Ciſalpinorum laudibus addam ſolummodo * Jo: Antonii Parravicini memoriam, quem Summus Pontifex, ob ingenii famam, & Sondrienſis Eccleſiæ Præfecturam egregie geſtam, S. Severinæ Archiepiſcopum declaravit.

** Vide ejus vitam apud Ferdinand. Ughell. Ital. Sacræ tom. 9. pag. 489. edit. Venetæ.*

At nihilo inferior illorum gloria fuit, qui ulteriora Alpium loca tenuerunt. Nam, ut militares animos hoſtium vicinitas acuit, magnique Duces inter magna pericula fiunt, ita clariſſimi juvenes in Patriam remiſſi, cum Hæreticorum inſidiis obſeſſa circa ſe omnia viderent, tot fortitudinis, prudentiæque experimenta dedere, ut ſupremam denique auctoritatem apud ſuos aſſequerentur. Accedebat inopia Sacerdotum, quæ, cum omnem adminiſtrandæ Eccleſiæ ſummam ad paucos redigeret, deliciis, atque otio, quæ ſemper impedimenta virtutis, & gloriæ fuerunt, tempus omne

ſub-

ſubduxerat. Ita per diverſos officiorum gradus ſummæ rerum admovebantur; & , cum antea publicæ ſalutis ſtudio nulli inferiores eſſent, ad ultimum poteſtate, & honoribus ſupra cæteros eminebant. Hac plane via nonnulli ad proxima Epiſcopatui munera, quamplures etiam ad Epiſcopatum ipſum pervenere, quam dignitatem ſuamet luce fulgentem, & Divini Verbi oraculo conſtitutam in eas quoque Regiones diffuſa ingentibus titulis Romani Imperii majeſtas exornat. Nec ego tam parum ſollicitus de illorum memoria fuerim, ut, cum egregia geſta recenſere non poſſim, clara inſuper nomina prætermittam. Antiſtites Curienſibus dati Joſeph Moor, Joannes Flugius, Udalricus Federſpil, quos circumfuſæ templo, & ſacra ipſa limina obſidentes nefariæ ſectæ ad certamen verius, quam honorem productos fateri cogunt. Equidem, ſi nulla alia res eorum hominum Pontificatum nobilitaret, poterant hoc uno mereri nominis immortalitatem, quod Pontifices eſſe tali loco, ac tempore voluiſſent. Viderant Superum aras rebellium furore ſubverſas, direpta Templa, profugos Sacerdotes; & cum idem hoſtis inſtaret, haud procul abeſſe idem periculum apparebat. In tam ancipiti Reipublicæ ſtatu, qui Catholicæ Fidei cauſam defendendam ſuſciperent, facile eſt conjicere, quantum cæteris animi magnitudine, & vitæ contemptu præſtarent. Mihi certe monumenta hæc Apoſtolicæ fortitudinis repetenti obverſabantur oculis celebratiſſima illa primævæ Eccleſiæ tempora, cum aſſumpti ad regimen animarum obſepta inimicorum

telis,

telis, & Præſulum cædibus cruenta Sacerdotia capeſſerent.

Proximi Curienſibus ſequuntur Epiſcopi Sedunenſes, quorum & æqualis dignitas, & ſimilis gloria, & amplior numerus fuit. Hunc gradum tenuere Ildebrandus Jodocus, Bartholomæus Superſaxo, Adrianus Riedmaten, qui cognominem ſibi alium paulo poſt in Epiſcopatu ſucceſſorem habuit. His addere libet Petrum de Communi hoc ipſo fortaſſe majorem cæteris, quod inferiore apud illos loco contentus fuerit. Nam cum omnium conſenſu ad Sacrorum regimen, atque adeo utriuſque Valleſiæ Principatum peteretur, tam conſtanter ipſe delatum honorem repudiavit, quam cupide ab aliis quæri ſolet. Nec tamen deſtitit omni ope juvare Rempublicam religionis integerrimus cuſtos, erga pauperes beneficus, in Divinarum laudum officiis aſſiduus, ſemperque digniſſimus habitus tituli majeſtate, qua ſemet indignum judicaverat.

Claudit Epiſcoporum agmen Jodocus Knab, nobiliſſimæ item familiæ ultimus, quæ diu ſummo in honore apud Lucernenſes fuerat. Is, cum nutantem domum firmare illuſtri aliquo conjugio poſſet, tam forti, temperatoque animo fuit, ut Patris nomen ex Sacerdotii munere, quam ex nuptiarum nexu accipere maluerit. Itaque Lauſanenſis Epiſcopus renunciatus quotquot intra ditionis ſuæ fines continebantur filiorum loco habuit, eaque charitate ſuæ ſtirpis interitum cumulatiſſime compenſavit. Fama eſt, atque ita in annalibus ſcriptum invenio, cum lethali morbo affectus

Ex annalibus Congregat. de qua infra.

exigua

exigua in ſpe traheret animam, obverſatam oculis ejus Deiparam Virginem, eaque ſpecie recreatum haud alio vultu ex hac vita migraſſe, quam ſi in complexum Matris amantiſſimæ properaret. Id fortaſſe meruerat perpetuo erga Deiparam ipſam obſequio, cujus Sodalitio jampridem cum in Collegio degeret adſcriptus fuerat. Porro Sodalitium illud inter prima Collegii rudimenta Conditor ipſe poſuerat, optimum ratus ad debellandos Catholicæ veritatis hoſtes inde capere auſpicia, unde Divina Veritas humano generi affulſit. Viget in noſtra uſque tempora Inſtituti decus; nec partem ullam priſtinæ dignitatis imminuit ætas, qua ſanctiſſimæ quæque humanarum rerum haud ſecus quam hominum corpora conſeneſcunt. Si qui cooptari in Societatem exoptant non antea voti compotes fiunt, quam conſentaneum pietatis, modeſtiæque ſpecimen dederint. Bimeſtre ſpatium conceditur, quo tempore demiſſis in terram oculis, nudoque capite ſemper incedant, ludis, inanibuſque colloquiis abſtineant, aliiſque experimentis depellere aſſueſcant turpem illam in rebus etiam honeſtis verecundiam, quæ ſæpe juvenum animos a recto, & excelſo virtutum tramite in communium vitiorum vias avertit. Inter hæc tyrocinio depoſito Fratrum conſortio adnumerantur, cumque ipſis ſecretos conventus agunt, in quibus de ſingulorum in pietatis ſtudiis progreſſu, deque univerſæ rei ſtatu ſententiæ audiuntur. Nec vero in hanc curam gratuitis officiis incumbunt. Nam, ubi præſcripta ſolverint, Apoſtolicæ Indulgentiæ ampliſſima dona conſequuntur, qualia ejuſmodi Cœtibus

conceſſa raro alibi inveniant. Quamobrem ſæpe monendi ſunt, ut tradita a Majoribus decora ſevere cuſtodiant, neve Sodalitii dignitatem turpi aliqua erga indignos adulatione violari patiantur. Cogitent etiam, quantum interſit ad ſummam rerum, quibus ſe deſtinatos intelligunt, ſi Dei Matrem propitiam habeant, cujus patrocinio tot relatas de hoſtibus ſuis victorias Catholica Religio commemorat.

Sed neque illos oblivîſci fas erit quantum ipſorum educatio auri, & laborum exhauſerit. Meminerint ſæpe quo ſumptu ſteterint illa ædium tam celſa faſtigia, magiſteria, alimenta, famulatus, ſupellex, aliaque permulta, quibus ad vitam utuntur, ac plane ſentient quid denique ab ipſis hæc rerum majeſtas, atque opulentia repoſcat. Quin etiam cum iſta deſcriberem ſurgebat aliud Collegio decus, ſuburbanum videlicet ædificium, quo ad recreandos ex literarum ſtudiis animos per hebdomadas mitterentur. Amæna ibi planities murorum ambitu circumſepta, atria, porticus, conclavia, large effuſis in ſingula opibus, & inſtructa in magnificentiæ ſpeciem ruſticandi voluptate. Quorſum vero hæc omnia pertinent, niſi, ut tam benigne, ac liberaliter habiti Conditoris deſiderio majore conatu reſpondeant, & quantum honoris, commodorumq; accepere, tantundem laboris, & ſtudii Catholicæ Fidei rependant? Verum hæc fortaſſe memoranda non erant ingenuis Adoleſcentibus, quos indoles ipſa, & dignitas officiorum, quibus ſe ſe delectos intelligunt, ad ſtudia virtutum vehementius impellat.

De

De Collegiis Nobilium, ac primum de Collegio Ticinenſi.

CAP. V.

FIrmata in perpetuum ſicut antea retuli Sacerdotii dignitate, munitiſque adverſus Hæreticorum inſidias Inſubriæ confiniis, curam aliam haud ſane minorem reſtitutor ille bonorum omnium Carolus ſuſceperat, ut Nobilium mores, quibus maxime poſſet remediis efformaret. Reſpicienti equidem mihi temporum eorum calamitates ſuſpicari licet, eos, qui generis ſplendore eminerent, nihil tamen cæteris pravitate vitæ fuiſſe diſſimiles, atque adeo moviſſe Cardinalis animum, ut hanc Patriam ſuam tanto dedecore liberaret. Eſt enim vere turpiſſimum inter Heroum ſtemmata viliſſimas quandoque libidines enutriri, ibique improbis voluptatibus locum eſſe, ubi omnia illuſtribus titulis, & avitæ virtutis recordatione reſplendeant. Hinc Reipublicæ clades, & commune Religionis exitium, dum peccandi licentiam ex Optimatum exemplis facile homines arripiunt, nec digna tam ſevero exilio flagitia arbitrantur, quibus patere primarias Domos, & ornata tecta dignitatum inſignibus vident. Erit autem ſemper hoc in Republica malum quandiu nobiles Viri crudeliſſimo illo benevolentiæ genere, quo pluri-

mi utuntur, liberos ſuos inter ancillarum obſequia, & famulorum adulationes educari patientur, literarumque, & diſciplinæ nomina velut lethifera delicatæ prolis cruciamenta reſpicient.

Ac neſcio quo fato apud aliquos fœdiſſima opinio invaluerit, ſcientiarum videlicet ſtudia nihil ad illuſtres familias pertinere, atque adeo plebejis hominibus relinquenda, quibus neceſſe ſit generis labem, & inopiam domeſticæ rei laborioſiſſima illa gloriæ parte depellere. Nam qui ita de nobilitate ſua judicant Majorum ſuorum memoriam aperte condemnant, qui liberalium diſciplinarum cultu ſplendorem hunc nominis, quo tantopere gloriantur, poſteris peperere. Id vero longe funeſtius, quod, cum ſuprema omnium fere Civitatum officia occupare conſueverint, haud aliter deinde Rempublicam quam ſe ipſos colunt, eamque mentem ad Patriæ neceſſitates afferunt, quam ex luxu, & conviviis expectari oportebat.

Volvebat hæc animo Carolus, expertus inſuper ipſe quanta Procerum liberis ex hoc aſſiduo deliciarum apparatu pericula immineant. Quanquam enim honeſtiſſimus Parentibus in ea Domo genitus, quæ cœleſtium animorum procreatrix antea fuerat, & futura inpoſterum erat, vix tamen Aulicorum inſidias effugerat, quibus perſæpe ex corruptis Heri cupiditatibus ingens quæſtus, & opulentior ſervitii merces accedit. Igitur, cum jubente Pio IV. Avunculo ſuo Romam profectus eſſet, utendum auctoritate ratus, quam Cardinalis, & ſororis filius apud Pontificem obtinebat, ſalubriter deſtinata

nata exequi pergit. Inter avita Familiæ jura ædem ſatis amplam Ticini habebat, eamque ipſe incoluerat, cum in ea Urbe ob Doctorum famam, & inclyta Gymnaſia moraretur. Simul notaverat eo tempore crebra infortunia juventutis, quæ miſſa illuc ad excolenda ſcientiarum ſtudia ſterilem ſæpe lauream, & peregrina ſub inanibus titulis vitia domum refert. Cumque calamitatem hanc depelli non poſſe animadverteret, niſi periculoſæ ætati vagandi licentiam adimeret, ſtatuerat ſecum ipſe gentilitias ædes in Collegium vertere, eoque includere ingenuos adoleſcentes, ut procul a parentum oculis paterna tamen cura per idoneos homines regerentur. Facile erat Summo Pontifici, & Pio rem ſanctitatis, & ſapientiæ plenam ſuaderi. Itaque laudato Cardinalis conſilio, qui in ipſo magnæ fortunæ tyrocinio nihil niſi præclarum, ac ſalutare Reipublicæ moliretur, latifundia, & annuos redditus ex Eccleſiaſtico patrimonio novo operi aſſignat, quæ ſimul benevolum erga ſororis filium, ſimul munificum erga pietatem, & literas animum comprobarent. Jacta ſubinde fundamenta molis, cujus amplitudo Conditoris mentem referret, ac vetus Urbis illius nomen æmularetur, quæ Longobardici Dominatus Regia ſedes fuerat. Frons ipſa ædificii, & circumducta quadrati lapidis firmamenta, ſuffultæ columnis porticus, ſpatioſa conclavia picturis, & multo ære fulgentia regium aliquid ſane præſeferunt, ut facile Loci majeſtas indicare advenis poſſit aut inibi domicilia Principum eſſe, aut artes coli Principibus dignas. Subjecta moli, qua in

Auſtrum

Auſtrum vergit, hortorum planities domeſtici ruris ſpeciem, & amæna ſpatia ambulantibus præbet; nec perennes aquæ deſunt, quæ ubi ad oculorum delicias ex fictitio ſpecu in ſubjectum craterem decidêre, multiplici, ac vario ductu pererrantes ſata, & frutices rigant. Hæc ornamenta Collegii, ſeu potius invitamenta erant, ut nimirum impatiens diſciplinæ Nobilitas parendi neceſſitatem inter ea majeſtatis inſignia lenius ferret, nec grave cuiquam videretur tam ſplendide educari. Acceſſere paulo poſt honores, & privilegia quorum alia Summi Pontifices, alia Senatus Mediolanenſis, cæterique Regii Magiſtratus ſive ad Loci dignitatem, ſive ad immunitates prædiorum, atque hominum addidere. Tum abſoluto ædificio remiſſæ penſiones, quæ ob quotidiana alimenta ſolvebantur, præreptumque nobilium juventuti paupertatis ignobile patrocinium, quo ſe ſe nonnulli adverſus inſcitiæ pudorem tuentur.

Sed nihil ad rem illuſtrandam utilius unius Adoleſcentis exemplo fuit. Federicus Borromæus pluries antea productus ſtudebat eo tempore liberalibus diſciplinis, excolebatq; ætatem illam, quæ ſemel neglecta, & inculta totius vitæ ſordes, & ignominiam trahit. Hunc Carolus Patruelis ex Bononienſi Academia revocatum ſuccedere Ticinenſi Collegio juſſerat, ſuſceptoque familiæ regimine, publicis curis, tractandiſque hominum ingeniis paulatim aſſueſcere. Excivit ea res multorum ex primaria Nobilitate animos, ut ultro in Collegium recipi, apertaſque inibi ad Sapientiam vias

per

per veſtigia clariſſimi Juvenis ingredi vellent. Et, cum ſumma apud ipſum auctoritas eſſet, diſcrimen omne modeſtia ſuſtulerat, nec poterat cæteris major niſi virtutibus, & ingenio videri. Menſa illi quæ omnibus, ſolitudinis & vigiliarum patientia eadem, veſtitus modeſtior, auri deliciarumque contemptus Adminiſtratoris, & Domini titulos texerant oculis, aut certe Adminiſtratorem ipſum ſupra omnes titulos extollebant. His ille moribus bonarum artium ſtudia in Collegium inducere conabatur; neque irriti conatus erant, cum & ipſa ſcientiarum ſpecies nobiles animos caperet, & ingenuum quemque puderet eam vitæ ſeveritatem averſari, cujus ducem, ac ſocium haberet Federicum. Religionis præſertim ingens cura habebatur; eratque magnum Juveni incitamentum D. Juſtinæ intra Collegii ambitum dicata Ædes, ex cujus Virginis patre Vitalliano Patavii Rege nonnulli Borromææ Gentis originem duxere. Itaque memoriam hanc, famamque rei ad ſe præcipue pertinere interpretatus, nihil niſi cœleſte, ac ſanctum meditabatur; trahebatque illuc omnia, ut ſe ſtirpe illa progenitum oſtenderet, quæ in fragili etiam ſexu Chriſtianæ fortitudinis miracula edidiſſet.

Deceſſerat interim D. Carolus neque ſatis compoſito Collegii ſtatu, neque abſolutis inſtitutionibus; eoque fortaſſe minor cura fuerat, quod Patruelis hujus exempla inſtitutionum omnium vim habitura viderentur. Tum Federicus perficere cuncta, & expolire ad Conditoris mentem aggreſſus ſtatuta primum, & regulas firmat, adhibito in conſilium, præter alios graviſ-

ſimos

ſimos Viros Julio Ceſare Bonomio Antiſtite Oblatorum, penes quos regularum earundem futura cuſtodia erat. Ita enim fieri D. Carolum voluiſſe ex inſtitutionibus Sodalitio noſtro traditis apparebat, & huic ipſe voluntati reverenter obſecuturus, cum adhuc ſummæ rerum intentus in Collegio degeret, nonnullos ex eodem Ordine Sacerdotes in ſocietatem curarum aſſumpſerat. Romam deinde amicorum precibus evocatus nihil antiquius habuit, quam ut eorum, quæ ad regimen juventutis excogitata privatis conſiliis erant, Summus Pontifex auctor fieret. Id facile a Sixto V. impetratum, penes quem eo tempore Romanarum rerum arbitrium erat; adeoque nihil ſine cura dignitatis eſt actum, ut exterior quoque veſtium cultus, quo nunc Alumni utuntur, inter ſupremæ illius auctoritatis decreta locum habuerit. Nam quoties in publicum prodeunt punicei coloris togam ad talos demiſſam deferre jubentur, ſuſpenſo ex humeris gentilitio Borromæorum inſigni, quo & Auctorem Collegii ſui, & perpetuam ejus Familiæ poteſtatem in adminiſtrandis Collegii rebus declarant. Ac ne aliquando contentiones, & rixæ in ipſa Familia orirentur, ſi forte ſinguli ex pluribus conſanguineis adminiſtrandi facultatem ad ſe ipſos traherent, res in hunc modum ab eodem Pontifice conſtituta, ut primo Cardinalis, qui in familia reperiretur, dein ſacra toga inſignis, poſt Conditori conſanguinitate propinquior, poſtremo inter æquales major natu in eo negotio præſtaret. Si quis religioſo cuiquam Ordini nomen dediſſet, huic nihil juris ex Urbani VIII. ſententia relictum.

Libro I. Cap. IIII.

Ita

Ita compoſito rerum ordine Federicus, Stephanum Raynonum ex Oblatis delectum Ticinenſi Collegio præponit, miſſis ab Urbe inſtitutionibus, quarum uſum in juventutis mores diligenter induceret. Ex eo tempore manſit Sodalitio ejus regiminis honos, tanta Borromæorum Procerum benignitate, ut niſi ex D. Caroli inſtituto fieret, idem tamen facturi ex ingenita quadam erga res noſtras benevolentia viderentur. Id ſatis oſtendunt humaniſſimæ literæ, quas Majores noſtri in annalibus aſſervandas ex ſui nominis dignitate cenſuerunt. Federico mortuo Gibertus Borromæus in hoc Ticinenſe Collegium ad deflendam magni Patrui jacturam cum Carolo patre ſeceſſerat, acceperatque conſcriptam ab Sancti Sepulcri Præpoſito epiſtolam ſimul doloris indicem ob amiſſi Archiepiſcopi calamitatem, ſimul teſtem obſequii, quo ſe ſe ad omnia de Collegii rebus mandata paratiſſimum exhibebat. Ad eam igitur epiſtolam Gibertus in hæc verba reſcripſit. Nota ſibi eſſe Congregationis univerſæ merita, cujus proinde officia, & perſpicuas obſequii ſignificationes benevolo, libentique animo accipiat. Poſtquam adminiſtrandi Collegii munus cum ſacra toga ſuſceperit, ſtatutum ſibi eſſe ſanctiſſimi Conditoris mentem in eo negotio ſectari, quemadmodum Divino auxilio fretus ejuſdem virtutes imitari in animo habeat. Placere interim ſibi, Petro Greggio ex Sodalibus alteri, qui Rectoris officio hactenus ſit defunctus provinciam prorogari. Manifeſtum omnibus velle, quantum ipſe Oblatos diligat, & ea, quæ nunc verbis affirmet, re

ipſa, quoties occaſio ſe dederit, probaturum. His ſimilia, vel fortaſſe graviora Comitis Caroli literæ afferebant, qui tum Giberti adoleſcentiam paternis conſiliis, & auctoritate regebat. Pauca ſiquidem de acerbiſſimo dolore, quem ex Patrui morte conceperat pie, ſapienterque præfatus humaniſſime teſtabatur, Quod ad ſe ſe attineret, cum Oblatorum Sodalitio benevole, ac confidenter acturum, ſemperque fore, ut eos omnes, cum propter ipſorum merita, tum veluti prolem magna illa conſanguinei Conditoris mente progenitam pro conjunctiſſimis habeat. Gibertum filium vix decimum ſeptimum ætatis annum agentem in eadem ſententia ſuis conſiliis confirmari; & quoniam de mutuo officiorum conſenſu non dubitet, de iis, quæ poſtremis literis ſignificata ſibi, ac propoſita ſint libentiſſime aſſentiri. Petere igitur, ut Præpoſitus ipſe Congregationis ſuæ nomine Ticinenſe Collegium adeat, ac deſtinatam ab Sanctiſſimo Conditore provinciam accipiat. Anno inſequenti, qui fuit humanæ ſalutis trigeſimus ſecundus ſupra milleſimum ſexcenteſimum, Jo: Antonium Buſſolam Oblatorum Præpoſitum ad ea cognoſcenda, quæ in hoc Collegio agerentur cum duobus graviſſimis Viris a Giberto Comite Borromæo delectis profectum invenio. Inſpecta inibi diligenter omnia, rem domeſticam, annuos proventus, ſtudia juventutis; & quæ in eo conventu acta ſunt publicis tabulis conſignata.

Utinam vero mihi eveniſſet, ut ejus temporis laudes in noſtram uſque ætatem pari ſemper narratio-

ne

ne perducerem. Non ea tunc erat Ticinenſis Gymnaſii ſolitudo, quam ſive negligentia hominum, ſive illa ſemper inconſtans rerum humanarum viciſſitudo invexit. Collegiorum, quæ multa inibi numerantur, magna celebritas erat; Borromæum præſertim multitudo Nobilium, & fama ipſa ſui nominis commendabat. Nec tamen delinimenta, blandæque artes in uſu erant, quibus ad frequentanda ejuſmodi domicilia juventus allicitur. Non ibi concinnæ ad numerum ſaltationes, non ludibria ſcenarum, non fidium, tibiarumque concentus, non alia, quæ dum Loci diſciplinam lenire dicuntur, inutilem reddunt. Longe alia mens D. Caroli fuerat, quam ut juvenum animos ſuapte natura ad levia hæc, & molliora tendentes additis ultro illecebris a pietatis cura, literarumque ſtudiis avocaret. Temperata quædam, & gravis vivendi ratio invalverat, ut neque nimio labore fatigarentur ingenia, neque a ſuſcepto virtutum itinere per voluptatum irritamenta deflecterent. Extant Apoſtolicæ literæ ſollicitudinis, & vigiliarum teſtes, quibus eo tempore res agebatur. Nam cum exordia ſtudiorum omnium a religionis cultu ſumi oporteret, poteſtatem Summus Pontifex fecerat, ut in domeſtico Sacello ante præſtitutum auroræ tempus res Divina fieret. Atque iſta fuit maximorum hominum nutrix ſeveritas, quorum hodie nomina inter Urbium laudes, & ornamenta Reipublicæ referuntur. Oſtentatio quædam gloriæ fuerit ſi Cardinales omnes recenſere voluero, quos hujus Collegii diſciplina in ſpem magni cujuslibet honoris inſtruxerat. Non enim unum

aut alterum, quod ſatis tamen ad dignitatem videri poterat, ſed continens veluti Purpuratorum agmen proferunt monumenta, quæ adhuc ad præteritæ ætatis decus, ſeu potius ad contumeliam noſtri temporis aſſervantur. Major haud dubie numerus eorum, qui ab illo Humilitatis inſigni, quod Ticini geſſerant, duxere exordia Senatoriæ poteſtatis, aliorumque Magiſtratuum, quos inter civilis magnificentiæ vocabula recenſemus. Non eſt itaque cur Nobilium ingeniis adulari, & firmatas perpetuis experimentis ſapientiſſimorum hominum ſententias evertere conemur. Magni viri non ſine magnis laboribus fiunt, actamque inter oblectamenta, & vanas ſtudiorum imagines juventutem turpis plerumque vita, & ignobilis ſenecta conſequitur. Sed vitia, virtuteſque, ſicut humana pleraque, alternis inter ſe vicibus agunt, & mutuo quodam imperio temporum intervalla partiuntur. Dilexere alia Majores, odere poſteri, donec, variante fortuna, in gratiam redeant, quæ antea diſplicebant.

De Collegio Nobilium Mediolani.

CAP VI.

COllegium Nobilium, de quo antea diximus, S. Carolus excitaverat cum adhuc Romæ conſiliorum omnium particeps, ac veluti Collega in Pontificatu, apud Avunculum moraretur. Quinto deinde anno in Patriam remiſſus, poſtea quam Urbis ſtatum, & Civium ſuorum neceſſitates in coſpectu habuit, tum denique animadvertit, curam illam, quam de educanda illuſtrium Familiarum prole ſuſceperat, longe pluribus auxiliis indigere. Nam, & illa, utcumque magnifica, & ampla Ticini moles, impar numero videbatur, & procul a parentibus in aliena Urbe commorari nonnulli fortaſſe inter exilii incommoda numerabant. Simul itaq; multitudini conſulendum erat, & delicatis iſtorum ingeniis, qui paternæ domus parietes magis quam gloriam amant, abductique ab domeſticorum oculis, velut avulſi ab nutricum uberibus infantes, nota ora, & priſtinos amplexus implacabiliter repetunt. Hæc apud Parentem optimum pervicere, ut Collegium aliud Mediolanenſium Nobilitati in ipſo prope domorum veſtibulo collocaret. Sedes aptiſſimo loco empta, & aucta ædificiis, lectique Patres ex ornatiſſima Societate Jeſu, qui inſtituti primordia temporario munere adminiſtrarent. Nundum ſcilicet erat ſacra hæc Societas ho-

minum,

minum, quos paulo poſt ad Collegii curam induxit, perpetuo, ut ipſe rebatur, beneficio. Centum fere annos tenuere hanc provinciam Oblati; donec inverſa rerum viciſſitudine documentum poſteris darent, ne quis in ſumma quanvis tranquillitate tutum aliquid, aut fidum exiſtimet. Mihi quidem expeditius erat hanc narrationis partem omittere, ne vel notam aliquam alienis moribus inurerem, vel ſeneſcentem infortunii memoriam renovarem. Sed præterquamquod Hiſtoriæ fidem ne ab ſilentio quidem laborare oportet, illud etiam cavendum erat, ne ex ſilentio ipſo deterius aliquid de Majoribus noſtris ventura ætas ſuſpicaretur.

Nulla tam felix ſacrorum hominum Societas fuit, cui perpetua quies in tanta morum, ac temporum varietate contingeret. Hujus autem calamitatis exempla, quorum plurima a ſcriptoribus referuntur, multum prodeſſe omnibus debent ad deſpicientiam rerum humanarum, quippe cum videant nullam earum partem moleſtiis, & perturbatione vacare. Verum, ut ſacros homines aperta vi, aut inſidiis ſollicitari miſerabile dictu eſt, ita inſectationes, & damna ab ſacris hominibus exoriri longe miſerabilius. Id quoque malum in Sanctiora domicilia invexit ambitio nullis unquam contenta limitibus, ſibique ereptum exiſtimans quidquid aliis honoris impenditur. Jam pridem igitur ab ipſo Congregationis exordio ejuſmodi hominum calumniis tentari res noſtræ cæperant, noſcebanturque Mediolani laudatores paupertatis, & modeſtiæ magiſtri, qui Oblatorum alimenta invadere, ac primariam eorum ſedem

occu-

occupare conarentur. Sed hæc pudenda aliis nobis læta enarrandi alibi locus erit. Poſtquam nihil oppugnatio proceſſerat, inſidiis, & circuitione agi cæptum. Helvetiorum Legati Romæ petebant, ut Aſconenſe, & Helveticum Mediolani Collegium, dimiſſis inde Oblatis, alterius nominis hominibus traderentur. Quod ubi nunciatum eſt, non fuit inutilis clamor, & vana quiritatio, qualis eſſe aliquorum ſolet, qui dum Saguntum expugnatur ſuppetiarum tempora inanibus ſententiis, aut objurgationibus terunt. Depromptum illico quidquid auxilii eſſe poterat, datæque in primis literæ ad S. Onuphrii Cardinalem enixe rogantes, ut pro ea, qua pollebat auctoritate imminentem nobis, immo Sanctiſſimi Viri inſtitutis injuriam averteret. Ita inimicorum disjecta conſilia, & Helvetiorum Legati, cum alieno magis inſtinctu, quam ſuis deſideriis agerentur, facile quievere. Vacua tunc erat Archiepiſcopi Sedes, eoque charior victoria viſa Majoribus noſtris, quo Parente deſtituti propiores periculo fuerant. Verum eodem, quo hæc acciderant, ſæculo, adeo agendi ordo eſt inverſus, ut illa ipſa, quæ tam periculoſa videbantur, orbitatis tempora optabiliora faceret. *Ex actis Congregationis.*

Federicus Vicecomes præclariſſimæ alioquin memoriæ Archiepiſcopus cogitationem hanc ex Romana Aula attulerat, ut Sodalitium Oblatorum ex ejus Collegii poſſeſſione detraheret. Id qua ratione ſit aſſecutus referam verbis ipſis quæ deſcripta in annalibus reliquit Nicolaus Rubinus Sodalitii Præpoſitus, cujus maxime intererat Archiepiſcopi factum ſpecioſiſſime interprtæari,

prætari, ne quid temere actum aut ipſo conſentiente, aut Principe imperante videretur. Is die quadam cum Vicecomitem adiiſſet, adductis ſevere ſuperciliis, & graviore quodam ſono ita locutum tradit. Statutum ſibi eſſe Collegium Nobilium Societatis Jeſu Patribus tradere, idque jam Romæ eſſe impetratum. Se vero ad ea reſpondiſſe, non Collegium modo, ſed res Oblatorum omnes in ejus manu eſſe poſitas; quidquid ipſe decerneret id recte, & pro auctoritate ſua factum. Sed altius Principis animo conſilium illud inſederat, quam ut ab eo dimoveri tam molli reſponſo poſſet. Ex colloquio digreſſus, cum novitatem conſilii in Seniorum conventu expoſuiſſet, facile intelligi poteſt quos animorum motus concitarit. Mæſti, & ſtupentibus ſimiles alii alios rogitabant, quæ tanti ponderis ratio Vicecomiti ſuccurrere potuiſſet, ut non Oblatos modo rebus ſuis exueret, verumetiam Mediolanenſibus Archiepiſcopis perpetuam hanc auctoritatis partem abrogaret. Societatem Jeſu eximiis haud dubie ſplendere virtutibus, & abundare clariſſimis Viris S. Carolum optime noviſſe, quem tamen nemo accuſaverit, quod Collegia omnia ſumptibus ſuis, & laboribus condita alterius inſtituti hominibus committere voluiſſet. Quatuor poſt Carolum ampliſſimos Præſules, dignitate, & prudentia Vicecomiti pares a Majoribus in eo Collegio geſta probaſſe; & ſi quid forte ex regiminis forma novo Præſuli diſplicebat, ſummam apud ipſum reformandi, corrigendique poteſtatem eſſe. Quod ſi crimen aliquod ea nota dignum (quod nemo unquam dicere,

dicere auſus eſſet) ſubeſſe cognoverat, vel dari defenſioni locum oportere, vel crimen ipſum proferri, multoque decentius fore reos puniri, quam inſontes indicta cauſa ſpoliari honoribus, quos ſæculi ſpatio tenuiſſent.

Cum his ferme ſermonibus conſilia traherentur, percrebuerat rumor, porrectas Innocentio XI. Pontifici Maximo ſupplices literas, quæ rei novitatem expoſtularent. Tunc fremitus, & indignatio Archiepiſcopi qualis eſſe Principum ſolet ubi adverſum aliquid eorum deſideriis inciderit. Vocat illico Sodalitii Præpoſitum, violatam obſequii fidem conqueritur, ac ſevere denunciat, velle ſe ſe, ut Præpoſitus ipſe, cæterique ſolemni ſcripto fateantur, nullas ejuſmodi querelas conſciis ipſis ad Summum Pontificem miſſas. At quid iſto apparatu opus erat ad ea conſequenda, quæ impetrata jam Romæ affirmaverat? Sed ibi demum neceſſe eſt labare Rempublicam ubi ſua quiſque commoda in conſilio habeat. Paucis in adverſum nitentibus vicit eorum ſententia, qui omnia Archiepiſcopo deferebant. Extat atteſtationis exemplar ſubſcriptis eorum nominibus, quorum teneris ingeniis durius erat ſpes ſimul ſuas, & tanti Præſulis deſideria decipere. Ita reverentiæ titulo diſcuſſus omnis jacturæ dolor; & Rubinus quidem ſplendido Sacerdotio donatus obſequentiſſimi erga Principem animi præmium tulit.

Hæc ut ipſius Rubini literis tradita ſunt aperte, ac fideliter retuli, omiſſis interim vanis de tota cauſa diſputationibus, nec ullo quæſito colore ad fucanda vitia Majorum, ſi quem adulatio, aut nimius privatæ

utilitatis amor in eo negotio locum habuerit. Nec certe aliud in hujus rei narratione mihi propoſitum erat, quam ut ſalubre aliquod documentum, inde poſteri caperent, quo inter adverſas temporum, rerumque viciſſitudines uterentur. Non enim adeo tranquillo mari pergimus, ut in alias tempeſtates incidere navigatio noſtra non poſſit. Sed illud in primis cavendum erit, ne quis nocendi opportunitatem ex moribus noſtris arripiat, ut ſi quid incommodi acciderit, non tam judicii perverſitas, quam delicti pœna videri poſſit. *Inſtituta, quæ accepimus, accurate tueamur, tum illud denique meminerimus conſcientiam rectæ voluntatis maximam conſolationem eſſe rerum incommodarum, nec eſſe ullum magnum malum præter culpam, a qua quando tantum abſumus, ut etiam optime ſenſerimus, eventuſque magis noſtri conſilii, quam conſilium reprehendatur, & quando præſtitimus, quod debuimus, moderate quod evenit feramus.*

Cicer. epiſtol. famil. lib. 6. epiſt. 4.

Cæterum Archiepiſcopo Vicecomiti utcumque erga res noſtras affecto occulta fortaſſe conſcientiæ vis ſollicitudinem aliam incuſſerat, ne hanc addictam Mediolanenſibus Archiepiſcopis Sacerdotum familiam, poſtquam in arctiorem locum redegerat, numero quoque imminutam relinqueret. Seminarienſes, & Helvetiorum Alumni, quorum commiſſa nobis cura eſt, poſtquam humaniores literas domi didicerant, ad Braydenſe Gymnaſium eo tempore mittebantur, ut Philoſophos, Theologoſque celeberrimæ illius Societatis audirent. Hanc divagandi licentiam juventuti periculoſam arbitratus domeſticis ſcholis ex Sodalitio noſtro magi-

ſtros

ſtros adjungere decrevit, qui clauſtris incluſos in eo quoque ſtudiorum genere detinerent. Hac honoris acceſſione ſpem ſolatii, quam benigniſſimis verbis antea fecerat vel eluſit, vel implevit; nobiſque, & nomini ſuo ſatis conſultum putavit ſi quos nobiliſſimi Domicilii poſſeſſione dejecerat, his nobiliſſimarum facultatum interpretes adderet. Quæcumque tamen ea beneficentia fuerit, æquiora ſolatia Divino munere parabantur, ut nihil ex priſtina dignitate præter ambitioſa nomina, ſuperboſque titulos amiſſum putaremus. Equidem ea, quæ infra referam, fidem faciunt, Conditorem ſanctiſſimum cœlo donatum paterno adhuc erga nos animo agere, nec ulla hominum injuria labefactari velle hæreditates, quas terris decedens Eccleſiæ ſuæ reliquerit.

De Collegio Rhaudenſi.

CAP. VII.

Octavo ab Urbe lapide Occidentem verſus Rhaudum eſt, vetuſtate magis, & antiquarum rerum memoria, quam ullo præſenti titulo inſigne Oppidum. Celeberrimos viros inde originem habuiſſe conſtat, qui non modo Patriæ ſuæ nomen, verum etiam Mediolanenſis Populi gloriam remotiſſimis terris intulerint. In eo ſiquidem bello, quod Chriſtiani Principes Gothifredo Bulionio duce ad Hieroſolymam liberandam Saracenis indixerant, Anſelmus de Rhaude Urbis noſtræ Archiepiſcopus cum ſuorum exercitu in Orientem profectus magna pars rei feliciter geſtæ fuiſſe traditur, multiſque editis Imperatoriæ prudentiæ experimentis apud Bizantium lethali morbo correptus ſimillimam triumpho mortem obiiſſe. Joannem item de Rhaude cum eodem exercitu iviſſe ferunt, murali deinde corona inſignitum, quod in Sacra Urbe oppugnanda Mediolanenſe Vexillum in ſumma propugnaculi parte primus omnium extuliſſet. In eo Vexillo purpuream Crucem, vetus Civitatis inſigne, cum agmini præferret, Crucejum appellari cæptum, atque inde celebre nomen familiæ relictum. Sed nos ab antiquis Oppidi laudibus monumenta alia longe diverſa repetamus.

Sigonius lib. 9., & Triſt. Calchus lib. 7.

Corius parte 1. Donatus Boſſius, & alii.

Haud procul ab Oppido Sacellum fuit duabus

inter-

interjectum viis, quarum altera Seronum, Verbanum altera, pluresque Vicos, & obverſa alia in occidentem loca adeuntibus patet. Deiparæ imago exanimem Filium gremio ſuſtinentis in eo Sacello jam inde antiquitus colebatur; & fama erat, cumulatos cœleſtibus donis ab eo cultu quamplurimos rediiſſe. Nonnulla etiam mirabiliter fieri interiore quodam ſenſu incolæ credebant; idque ipſum portenti ſimile erat, pro certiſſimis haberi, quorum nulla certa ratio afferebatur. Præſagia poſtmodum hæc, non ludibria animorum fuiſſe, ſatis apparuit, tot inde effuſa miraculorum multitudine, ut vix miraculi nomen apud homines retinerent. Anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio, octavo calendas Maji Hieronymus Ferrus, & Alexander Ghioldus ejuſdem Oppidi incolæ, cum precabundi ante aram in genua procumberent, notavere unanimes lævum Deiparæ oculum tumeſcere ſimul, ac rubore ſuffundi, qualis tumor, ruborque ineſſe lugentium oculis ſolet. Genis etiam vetuſtus color exciderat, omnemque oris ſuavitatem index mæſtitiæ pallor repente ſubduxerat. Aſperſam extrinſecus picturæ labem cum intra ſe crederent, detergere aggreſſi manantes ex oculo ſanguineas lacrymas vident; & maculæ veritatis teſtes linteolo inhæſerant, quo ad tergendum utebantur. Fit ſubito clamor, atque ex eo concurſus, & trepidatio hominum, quos inconditis vocibus repetitum miraculi nomen ex privatis domibus in publicam viam coegerat. Delata ad Archiepiſcopum re, miſſi illico graviſſimi Viri, qui diligenter inſpicerent, ne qua fraus

fraus, aut error incolarum fidei per ſpeciem pietatis illuderet. Trajanus Spandrius Rhaudenſis Eccleſiæ Antiſtes, & Ghioldus, & Ferrus, pluresque alii, quos ſive religio, ſive admiratio ad videndum exciverat, jurati omnes non congruentia modo de lacrymis retulere, verum etiam uno ore affirmabant, viſam ſibi poſtero die Virginis faciem vividiore, quam antea fuiſſet, colore exardeſcere. Humanis hiſce judiciis cœleſtia ſtatim documenta ſupervenere, quæ ſatis oſtenderent, delectam hanc a Deipara ſedem, ut maternæ benevolentiæ pompam fidelium oculis explicaret. Haud unquam alias manifeſtius apparuit quam cæca ſint mortalium ingenia ubi ad inveſtiganda Divinæ ſapientiæ conſilia attolere oculos audeant. Nam, cum ex illo ſanguineo fletu, & turbatione oris nihil niſi luctuoſum, ac triſte nonnulli ominarentur, tanta inde vis bonorum omnium effluxit, ut ſatis conſtaret, lacrymas illas pretia fuiſſe gaudiorum, quæ incolis, finitimiſque in futuras ætates parabantur. Et abſurdum plane erat funeſti quidquam timeri ex ploratu ipſo amantiſſimæ Matris, quæ ſemper dolorem omnem ſuum ad humani generis ſolatium contuliſſet. Horror equidem, ac trepidatio major apud Inferos erat, pulſique ex humanis corporibus dæmones, quæ antea crudeliter inſederant, præcipiti fuga, mæſtiſque ululatibus fatebantur, nihil illo Deiparæ luctu contingere ſibi acerbius potuiſſe. Ad hæc variis, ac veteribus morbis affecti undique confluebant nihil ſibi ad ſalutem deeſſe rati ſi modo obtutum in materna illa ora, &

Ex actis Cancellariæ Archiepiſc.

perſu-

perfuſam cruento humore faciem defigere poſſent. Quin etiam oculorum uſu carentes amiſſum antea lucis beneficium recepere, feliciter experti quanta luce fulgeret in cœlis, cujus imago ipſa miſerrimæ cæcitatis tenebras momento uno depelleret. Sed vix ego ſcribendi finem inveniam ſi omnia ejuſmodi exponere aggrediar; & patent adhuc immane Templum adeuntibus tabellæ indices receptæ mirabiliter valetudinis, turpeſque aliæ humanarum calamitatum exuviæ, quas in triumphi ſpeciem victrici cœlorum Reginæ beneficiorum memores poſuere.

Gliſcente interim fama rerum, quæ divinitus fierent, haud ultra tenuit ſe ſe Cardinalis Archiepiſcopus quin, & adventu ſuo celebritatem miraculo adderet, & ſimul ipſe cœleſtium donorum parte frueretur. Et primo quidem alienato a ſenſibus animo ſtetit aliquandiu meditabundus ante aram, effuſis ubertim lacrymis, quæ Deiparæ peremptam Prolem deflentis aut lenire dolorem poſſent, aut amorem imitarentur. Mox ubi oblata large dona, & numerum hominum ex finitimis Regionibus confluentium circumſpexit, agitare animo cæpit, quibus maxime modis advenarum frequentiæ, pietatique conſuleret. Nam neque multitudinem capere Sacelli ambitus poterat, & Aram ipſam plus honoris, & famæ in dies habituram Divina quadam cogitatione proſpexerat. Quod niſi creditum eſſet, præſciam aliquam futuri mentem ineſſe conſiliis ſanctiſſimi Viri, prope erat ut ſpecies Templi, quod hodie viſitur, non tam magnifice, quam imprudenter

exco-

excogitata videretur. Rudimenta ipſa molis collectas opes longe ſuperabant, &, ſi humanis iudiciis res ageretur, operta ſilveſtribus herbis fundamenta ludibrio futura viatoribus erant. Id quidem accidere neceſſe erat, niſi Divina largitas, continuato beneficiorum curſu, liberalitatem hominum erga ſurgentis ædificii majeſtatem aluiſſet. Anno quingenteſimo octogeſimo quarto ſupra milleſimum Carolus Borromæus ſanctiſſimæ memoriæ Pontifex celeberrimi Templi primum lapidem ponit, id veluti ſolatium proximæ Civium orbitati paraturus. Templi curam, quæ ad annuos reditus, ſive ad ſacrorum cultum pertineret, Sibi, ac Succeſſoribus ſuis reſervatam pronuntiat; nec ulli fas eſſe regiminis ejus partem invadere niſi quem Mediolanenſis Archiepiſcopus juſſerit. Jam tum in animo habebat id quoque munus Oblatis committere cum primum appoſita Templo domus ad faſtigium perveniſſet. Sed propera mors hujus conſilii eventum diſtulit in tempora Gaſparis Vicecomitis, qui Caroli mentem ſecutus in eam denique provinciam Oblatos induxit, quemadmodum receptæ per Petrum Scottum tabulæ declarant. Moleſtum inde certamen cum Rhaudenſis Eccleſiæ Sacerdotibus exortum, qui translata in alios jura ſua querebantur, & triennium fere diſceptatio tenuit, donec Gregorius XIV. Pontifex Max., confirmato Vicecomitis decreto, cavillis, diſſidiiſque finem imponeret.

Hæc fuere initia Collegii, anguſta illa quidem, & vix notatu digna, ſi quis metiri dignitatem rerum ex aliqua nominis pompa, aut domeſticis utilitatibus velit.

velit. Ipſa Delubri amplitudo quantamcumque Populorum munificentiam exhauſerat, magnæque tectorum, ac parietum moles magnis ſumptibus ſemper obnoxiæ informem domum, & arcta alimenta Sacerdotum miniſteriis reliquerant. Tres omnino ex Sodalibus mittebantur, quibus ad tanti Templi cuſtodiam deſtinari tota pene ſervitii merces erat. Verum altiora conſilia ſub iis anguſtiis latebant, & parum ſpei in humanis auxiliis relictum eſſe oportebat, ut in decus, & celebritatem verſa repente omnia Divinæ beneficentiæ vim apertius indicarent. Sane quæ de incrementis hujus Collegii referam ejuſmodi fuere, ut, ſicut alia, quæ mirabiliter evenerunt, conceſſa potius Deiparæ lacrymis, quam ullis hominum opibus abſoluta videantur.

Georgius Martinellus fuit, præſtanti vir ingenio, atque ad pietatem, & literas avitis exemplis, & honeſtate ipſa generis inſtitutus. Pueriles adhuc agentem annos tradidere parentes Clericorum Seminario; eaque res non tam ipſi, quam cæteræ juventuti, quæ inibi verſabatur, magno adjumento fuit. Patientia enim laborum, & vitæ integritate inſignis ad ejuſdem gloriæ ſtudium accendebat æqualium animos, ut quos virtutum amor parum alliceret, eos ad proſequenda Contubernalis veſtigia aut compelleret pudor, aut imitatio perduceret. Tenet fama, incauto illo, & ancipiti adoleſcentiæ tempore, inter obſeſſa legibus omnia, & ſemper imminentes cenſorum oculos Georgium Martinellum nullius unquam juvenilis licentiæ crimine notatum abiiſſe, non ſine proventu aliquorum, quibus exemplo

ſuo parata ſemper malis ingeniis excuſationum effugia præcluſerat. Ita ſtudiorum curricula emenſus Oblatorum numero adſcribitur, daturus uberrimam meſſem, cujus hactenus ſemina capaci mente condiderat. Nec tamen aggrediar omnem ejus vitæ memoriam recolere, quam Benedictus Mazzolenus Ordinis noſtri Sacerdos concinne, graviterque deſcriptam publici juris fecit. Ex plurimis autem, & maximis cœleſtis animi teſtimoniis, quæ de hoc Viro traduntur, pauca tantummodo delibare ſatis erit, ex quibus ea, quæ ad rem noſtram pertinent, facilius eluceſcant.

Vixdum igitur Sacerdotio initiatus, cum humaniores literas doceret in Scholis, dedit illico ſigna apoſtolicæ indolis, ſeque Divino nutu ad ſublimiora miniſteria delectum oſtendit. Nam, quoties in explicandis eloquentiæ præceptis occaſio ſe offerret, ad cœleſtium rerum meditamenta leniter declinabat, nunquam adeo diſertus, quam cum ſermo de amore virtutis, aut turpitudine vitiorum incideret. Moritur interim Nicolaus Valeranus, ille communi hominum opinione in Cœlum elatus ob ſingularem innocentiæ famam, quæ in hunc uſque diem nomen ejus, & cineres ſequitur. Huic in Seminario majori efformare pietatis officis juvenum mores, & excipere arcana conſcientiæ munus fuerat, idque tam prudenter, ſancteque geſſerat, ut tanti Viri jacturam ægre ſanari poſſe vulgo omnes judicarent. Nec tamen diu de ſucceſſore dubitatum eſt. In demortui locum Martinellus ſufficitur, affirmantibus cunctis, priſtinam ita dignitatem rebus reſtitutam, nec ullam

in

in eo munere niſi nominis mutationem factam. Gratulari mehercule mihi ipſi debeo, quod in hac narrationis parte exequenda alienis teſtimoniis non indigeam, exacto nimirum ſub ejus Viri præceptis adoleſcentiæ meæ tempore, cujus ego memoriam non ſine aliqua delectatione repeterem, niſi conſcientia levitatis, & neglectæ juveniliter diſciplinæ pudor obſtaret. Memini cum in ipſo altaris conſpectu de ſalutis æternæ negotio, & Sacerdotalis vitæ officiis, ut eſt loci conſuetudo, diſſereret, inhorruiſſe per ſæpe ſodalium animos, & concionem mæſto cum ſilentio dimiſſam, defixamque formidine periculi, quam improvidæ juventuti oratio plena gravitatis incuſſerat. Perſuaſerat ſibi Mediolanenſem Eccleſiam univerſam humeris ſuis incumbere, ſuſcepta videlicet eorum cura, quos Eccleſia ipſa Paſtores ſibi, ac Populorum Præſides deſtinabat. At ubi ſuggeſtu deceſſerat plena omnia ſuavitatis, & manſuetudinis erant, ut intermixtæ minis blanditiæ Patrem apertius teſtarentur. Undeviginti annos ea cura tenuit.

Inceſſit deinde animum cupiditas peragrandæ Diœceſis, atque opem ferendi quampluribus, quos procul ab Urbe cœleſtibus auxiliis indigere immiſſa forſitan divinitus luce cognoverat. Eam certe cupiditatem ad ſupernæ ſapientiæ decreta referri par eſt, cum & publicæ ſaluti adeo profuerit, & nihil propemodum hominum judicio profutura videretur. Vergebat in ſenium ætas, laboreſque, & jejunia, & nullis contenta ſuppliciis pietas contumaces morbos induxerant. Conſtat aſper-

rimos montes, quibus alicubi extrema Inſubriæ clauduntur, ab ipſo pedibus ſuperatos, nunc frigido imbre, nunc ſudore perfuſum perveniſſe ad hoſpitum tecta, ibique humaniter exceptum nihilo tamen mitius, quam inter incommoda itinerum cum ſenili corpore egiſſe. Cura omnis erat cogere Sacerdotum cœtus, oſtendere miniſterii dignitatem, luxuriam corripere, deteſtari ſegnitiem, & reliqua demum vitia, quæ nec tegi ſub ſacris inſignibus, nec tolerari poſſint. Hinc Aſceteria Virginum ſive abdita agreſtibus locis, ſeu montibus incluſa petebantur, ut nimirum ad fragile illud virginalis pudicitiæ decus, præter ſolitudinis cuſtodiam, Divini Verbi præſidium accederet. Inter hæc, cum uberior in dies proventus fieret, ſuborta cogitatio quærendi idoneos homines, qui privatæ rei utilitate poſtpoſita, ſe ſe ad idem vitæ genus aggregarent. Reputabat identidem hanc eſſe provinciam, quam diſcipulis ſuis Chriſtus Dominus commiſiſſet paulo antequam glorioſo ad Cœlos aſcenſu de humani generis hoſte triumpharet. Multos in Urbe eſſe ſanctitatis cultores, innocentiæ magiſtros; diſſitis in locis rara perſæpe eſſe religionis auxilia, omnique verſa in agros cura, incultos hominum mores remanere. Miſerabilium Pagorum incolas, ne animi vitia Paſtoribus ſuis aperiant, aliquoties contemptu, ſæpe etiam importuno pudore prohiberi, nec velle habere conſcientiæ teſtes, quos aſſidue in oculis habeant. Fuiſſe hanc D. Caroli mentem cum ſacris Oblatorum miſſionibus documenta, legeſque deſcriberet, inutili certe ſtudio niſi futuros putaret, qui legibus uterentur. Hæc

atque

atque alia cum ſecum ipſe meditaretur, in Rhaudenſem illam domum conjecerat oculos, quæ uno tantum latere aſſurgens nequicquam reliquas partes ultra unius ſæculi ſpatium expectarat. At ubi meditamenta iſta depromere, ac proferre in publicum cæpit, incredibile dictu eſt quot ille contentiones, ac pene jurgia excitaverit. Hominem ajebant vixdum e latebris ſuis in Cœli aperta prodeuntem jam inanibus deſideriis in ſublime ferri, nec ſatis ſcire quantum inter res ipſas, & rerum cogitationes interſit. Non eidem omnia e Cœlo dari, & qui facilem ad pietatis officia indolem ſortiantur, eos plerumque ad civilia negotia ineptos, atque hebetes inveniri. Ubi enim opes, & prædia, quibus ædificia augeret, ſeque, & Collegas honeſte aleret? Cumque ille ſpem omnem in Divino auxilio repoſitam ſibi eſſe affirmaret, ſilentium, & admiratio pro reſponſo erant, tanquam ad ea, quæ humanæ prudentiæ vires exuperant, faciliorem ſibi aditum fingeret.

Et ea ſane tempora inciderant, quibus in hominum auxiliis nihil ſpei relictum videbatur. Vixdum quieverant bella, horrida hiems inſolito gelu vineta, ſegeteſque vaſtaverat, armenta agricolis peſtilentia ſubduxerat, graviſſimæ liberalibus etiam Viris negandi cauſæ, ſi quis ad opem petendam accederet. Enimvero vix quiſquam invenerit, ſanctiſſimarum rerum initia caruiſſe difficultatibus; atque hæc omnia quibus terrarum Orbis ſecuritas, & ſolatia continentur præmia fere certaminum, & doloris fuere. Porro quæ ſingulari Dei benignitate

gnitate proveniunt ab humanæ prudentiæ conſiliis longe diſtare oportet, ne liberalitatem beneficii mortalium mens in argumentum ſuperbiæ vertat. Stetit itaque inter adverſæ fortunæ minas impavidus Viri animus, ſimul certus de proſpero eventu, & paratus alacriter ferre, ſi ſecus eveniret. Rogat igitur, ut, quoniam nova diſpliceant, pro veteri conſuetudine ſibi Rhaudum adire cum duobus ſociis liceat, atque ibi expectare quidquid ſuper ea re Cœleſtis Sapientia decerneret. Dat ſimul Cardinali Archiepiſcopo ſupplices literas, queis, poſtquam utilitatem conſilii diſerte oſtenderat, neceſſitatem auxilii tacite ſignificabat. Regebat hoc tempore Mediolanenſem Eccleſiam Benedictus Herba Odeſcalcus, paterna vere in Rempublicam cura, cujus etiam munificentiæ Pontificatus opes, & ampla Sacerdotia ægre ſufficerent. Sed neque par neceſſitati ſubſidium inde expectari ſinebat exhauſta diuturnis ſumptibus Principis liberalitas, &, quo effuſius in omnes ferebatur, eo erga ſingulos parcior. Martinellus interim apud Rhaudum haud ſecus agebat, quam ſi auri, & rerum omnium copia abunde ſuppeteret. Fundamenta moliri, conducere artifices, neceſſaria in futurum architectari, & vacuo miſerabiliter ærario plenam ædificiorum apparatibus domum habere. Proxima monſtris hæc, & ſimilia fabulis videbuntur; &, niſi graviſſimi teſtes rem ſibi viſam ab omni dubitatione eximerent, vix ea literis tradere auderem. Tum demum Divino afflatu hominem agi, & cogitationem omnem de cœlo miſſam credidere, quibus inanis timor, & fallax humanæ

næ prudentiæ lumen illuſerat. Nam quoties ad extrema ventum erat, pecuniæ ex inſperato aderant, quas ille diuturnis ad Deum precibus, cæſoque flagellis corpore ex ſuis veluti venis hauriebat. Cæperat ſubnaſci aliquibus novi operis deſiderium, atque interiore quodam ſenſu monebantur, ne ſemina hæc publicæ ſalutis exareſcere per ſocordiam, aut avaritiam ſinerent. Cætera, quæ pauperum precibus tribuantur, unius capitis vel familiæ utilitate terminari; quæ vero in hanc partem erogarentur itura in omne Inſubrum nomen, tanto majore beneficio, quanto æterna felicitas fluxa hæc, & caduca mortalis vitæ ſolatia antecedat. Archiepiſcopus idem ſumma repente cura perficere incæpta eſt aggreſſus, ut non ancipiti benignitate verborum, ſpecioſiſque promiſſis, per quas ferme fallacias petentium neceſſitati Principes blandiuntur, ſed ingenti pecuniæ vi, & pene ultra preces ageret. Compertum habeo, præter aliquot millia nummum ſtruendis, apparandiſque ædibus impenſa, magnam partem domeſticæ ſupellectilis ab eo miſſam, & nobiles viros auctoritate, conſiliiſq; ejus adductos, ut naſcenti Collegio piis largitionibus ſubvenirent. Quin etiam, ne præſentis beneficii voluptatem timor aliquis interciperet, ſpem boni eventus in futura quoque tempora confirmabat, obligata in penſionem annuam fide, atque ultro pollicitus, novis Eccleſiæ adminiſtris numquam defutura vitæ alimenta quandiu ſibi vita ipſa maneret. Ferebatur occulto quodam impetu ut moras omnes obrumperet, familiæque recens in lucem prodeunti Collegii nomen,

&

& formam daret. Id evênit anno poſt Virginis partum Viceſimo primo ſupra milleſimum ſeptingenteſimum, prout omnia pridie nonas Aprilis Jo: Carolus Joannola publicis tabulis conſignavit. Inſtituti ſumma *Sacras miſſiones per Civitatem, & Diœceſim obire, & ſpirituales exercitationes domi, foriſque tradere.*

Nec fallebat Archiepiſcopum quantæ rei moles ſub pauculis hiſce verbis lateret. Libertas, & quies, & auri, deliciarumque cupiditas denuntiatione illa ex ædibus pellebantur; & ſemel admiſſos non aliis ſtudiis detineri fas erat, quam quæ in mortalis vitæ contemptu, & rerum æternarum meditatione verſantur. Hæc per ſe ardua mentibus, & hominum auribus injucunda leniebat ipſe ſuaviſſimo paterni amoris exemplo, referebatque oculis beatum illud, & Sodalitii noſtri natale tempus, quo Conditorem Carolum familiari convictu inter Oblatos degere conſueviſſe primævi annales memorant. Haud abſimili charitate Odeſcalcus, quoties Rhaudenſe hoc Collegium adiret, dimittebat illico memoriam Purpuræ, & gravitatem ſupercilii, quam ſubditorum oculi, dum palam revereri coguntur, occulte faſtidiunt. Et fuit aliquando, cum eo latenter adveniens, atque humili cella incluſus, piis meditationibus octidui ſpatium impenderet, ut quæ præcepta cæteris impoſuerat, implendo ipſe, leviora faceret. Præſagiebat animo futuram calamitatem, & quo propior pernicies erat, eo celerius parabat auxilia, quæ rei acerbitatem quoquo modo ſolarentur. In ipſo enim pulcherrimarum rerum conatu

apo-

apoplectico ſtupore correptus, debilitato nervorum uſu, amiſſa loquendi facultate, cum tenui ſpiritu miſerrimæ vitæ reliquias ægre ſuſtineret, haud alio deinceps ſpiritu Rempublicam quoque ſuſtinuit. Manſit tamen memoria Collegii, & intacta morbo liberalitas, ut facile appareret, ſaniorem Principi mentem ineſſe, quam ut ulla corporis tabe violari poſſet.

Martinellus etiam paulo ante deceſſerat admirabili mortis genere, ſi quidem mortis nomine appellari momentum illud fas eſt, quo ſanctiſſimi Viri ex corporis hujus anguſtiis ad cœleſtis Vitæ præmia evocantur. Urens viſcera febris hominem mente dejecerat, ut monita Sacerdotum per inſana reſponſa, & abſurda verborum ludibria falleret. At ubi auribus inſonuere ſacra nomina Myſteriorum quibus ad extremum certamen muniri Chriſtiana pietas ſolet, recuperato rationis uſu, receptiſque corporis viribus, repente deſiliit; nec antea lectulo ſe ſe reſtituit, quam præteritæ vitæ culpas rite confeſſus, atque ad aram reverenter accedens cœleſti pane reficeretur. Tum denique concidêre vires, ac redeunte ſtatim mentis exceſſu, paulo poſt inter Sodalium ſuſpiria, pioſque complexus extinguitur. Pretioſiſſima, quæ habebat bona Collegio reliquit, paupertatis amorem, ſolitudinis ſtudium, publicæ ſalutis deſiderium, quæ adhuc hæreditas, ejus fortaſſe patrocinio, integre cuſtodita inter præcipuas Loci divitias manet. Pars altera hæreditatis fuere impreſſa typis volumina piis meditationibus plena, quibus præſertim auxiliis humana mens ad cœleſtis vitæ

deſiderium attollitur. Sane, ſi quid utilitatis, & gloriæ ex ejus familiæ ſtudiis in Rempublicam manat, id omne ad hujus Viri laudem referre debemus, qui familiam ipſam non ſollicitudine modo, & laboribus ſuis, verumetiam optimis exemplis, diſciplinisque conſtituit. Quotquot enim in miniſterii ſocietatem aſſumpſerat tam diligenter excoluit, ut in ſingulis eorum continuari vita ejus, virtuteſque videantur. Monere ſemper inſtiterat, quanta apud Superos futura eſſet eorum gloria, qui proximorum animas, Divini ſcilicet ſanguinis pretia, ab criminum contagione, æternæque damnationis periculo liberarent. Depellerent itaque animis cupiditatem aliam omnem, inirent ſignata Chriſti veſtigiis intinera, nec tanti honoris mercedem eripi ſibi caduci ullius decoris, aut divitiarum deſiderio paterentur. His ille adhortationibus adeo profecerat, ut, nullo quamvis cogente jure, interpoſita tamen promiſſi religione fidem omnes darent, ſe in eo vitæ genere, quod in præſentia delegiſſent, ad ultimum permanſuros. Ita, omni abjecta propriæ utilitatis memoria, toti rerum divinarum erant; &, dum ipſi eminere inter homines nolunt, decus, famamque Loci altius extulere. Pars in Oppida, & vicos peregre ire, & ſalutis æternæ documenta incolis circumferre, pars altera domi manere, & excipere advenas, quos ſive innocentiæ cura, ſive pœnitentia præteriti erroris adduxerit. Sacerdotes etiam, & dicatæ Deo Virgines ad refovenda virtutum ſtudia inde opem petunt; nec ulla anni pars piis hiſce laboribus vacat. Præclara autem hæc publi-

cæ

cæ æſtimationis ſive benevolentiæ teſtimonia tandiu permanebunt, quandiu vigebit cura, ne ejuſmodi expeditiones ſuperbia, vel ſumptu oneroſæ hoſpitibus fiant, longeque aberit doloſa illa, & inſidiatrix religio, quæ averſo a pauperibus vultu, erga divites, nobileſque blanda, & facilis ſpecioſum mercaturæ genus ſub nomine pietatis exercet.

Cæterum Martinello mortuo, aut potius ſuperſtite in eorum animis, quos conſiliis ſuis inſtructos reliquerat, Virum alium ea tempora dederunt, quem inter Collegii firmamenta numerari grati animi lex, & æqui ratio poſtulat. Porro ejus Viri memoriam his complecti literis debui, ne, cum majorum deſidiam in exponendis Sodalium virtutibus antea notaverim, eodem telo, quo alios appetere non dubitavi, me ipſum quoque configam.

Igitur Jo: Lezenus Caſarici natus in ora Lucani Lacus, Seminarienſi diſciplina inſtitutus, ob eximiæ indolis ſpecimen, quæ ſola id petentium commendatio eſſe debet, in Oblatorum Sodalitium recipitur. Validæ corporis vires, promptum ingenium, innocentia, & gravitas morum in cauſa fuere cur, florente adhuc ætate, pertractandis rebus admoveretur, quas ſenilis quoque prudentia perhorreſceret. Quidquid olim Parens Patriæ Carolus ad excolendam Dominicæ Crucis memoriam, ſive imbuendas Chriſtianæ Doctrinæ præceptis hominum mentes edixerat, id omne Lezenus inter primas Sacerdotii curas acceperat; & cum ejuſmodi curis multum animi ſupereſſet, plura etiam In-

ſubriæ loca eodem tempore piis excurſionibus peragravit. Exacta inter hæc juventute, Seminario primum, mox univerſæ Congregationi præficitur, quam ille poteſtatem magis inter incitamenta virtutum, quam inter dignitatum ſuarum titulos habuit. Concionandi facultate præſertim excelluit; nec ullum fortaſſe munus aut laudabilius, aut facilius exercuit, quippe cum intus exundans pietatis amor illico ſe ſe ex ore dicentis effunderet. Hinc illa ſemper circumfuſa lateribus multitudo aut remedia quærentium occultis animi morbis, aut petentium conſilia, queis tutum ad ſalutem iter in hoc ancipiti, & lubrico humanæ vitæ curſu retinerent. Cumque ad eloquii ſuavitatem opinio ſanctitatis accederet, profligatæ conſcientiæ homines ad ſaniora conſilia revocaſſe traditur, eaque in re, poſt ingentes pecuniæ ſumptus, ipſius quandoque vitæ periculum adiiſſe. Fortitudinis ejus, & flagrantiſſimæ charitatis argumentum exemplo uno notaſſe ſatis erit. Muliercula quædam ob excellentem formæ elegantiam in Urbe alebatur impenſa Principis Viri, nec ſolitudo, & tenebræ quærebantur, quæ criminis fœditatem Civium oculis tegerent. Prodibat in rheda ſub purpura, & gemmis nobile ſcortum, famulique cum inſigni veſtium ornatu occulta arma ferentes, cuſtodia ſimul, & pompa ſceleris ſequebantur. Ea præſertim oſtentatione flagitii acrius offendebatur bonorum animus, & ipſe tantus circa vitia ſplendor maxima pars turpitudinis erat. Verum inſuperabilis eſt vis conſcientiæ; neque opulenta dona, aliæquæ muliebris luxus illecebræ, quibus

maxi-

maxime infirmi ſexus ambitio capitur, lenire poterant animi ſtimulos exprobrantis ſibi dementiam ſuam, & in ſordidæ voluptatis complexu abjectam ſpem æternæ felicitatis. His acta cogitationibus mulier, cum ad Lezeni pedes die quadam acceſſiſſet, ex eventu conjicere quilibet poteſt quid denique conſilii ex ejus alloquio retulerit. Conſtat cuſtodiis occulte ſubductam, ac munito loco abditam renovaſſe exempla illuſtrium fœminarum, quæ poſt amiſſum pudicitiæ decus virginum merita lacrymis æquavere. At ſuperbus Dynaſtes, quemadmodum antea ſocius flagitii fuerat, non ita moderationis, & pœnitentiæ fuit. Nam ubi inquirendo, conferendoque, id, quod erat agnovit, in jurgia, & contumelias erumpere, fremere, minari, nihil denique niſi violentum, atque atrox meditari. Augebant iras ingentes tituli, militare nomen, acrior ereptæ voluptatis libido, ac ſuper omnia imminutæ auctoritatis opinio, ſi potentiam omnem ſuam, quæ terrori etiam Magnatibus foret, unius ſacrificuli aſtu deceptam apud homines vulgaretur. Itaque cum ſua ſatellitum turba ad S. Sepulcri Ædes profectus vocari Præpoſitum familiæ jubet, quem ubi in conſpectu habuit minaci ſupercilio reddi ſibi ereptam mulierem petit, aut indicari locum ubi ipſa lateat. Id niſi illico fiat extrema denuntiat. Tunc enimvero Præpoſitus modeſto ſimul, atque impavido vultu credideram, inquit, me idcirco eſſe vocatum ut ſalutaris pœnitentiæ ſigna, & præteritorum criminum confeſſionem exciperem. Sed quoniam aliud agi video, utique indignum me eſſe fateor, qui tam honeſtam finiendæ vitæ occaſionem

inve-

inveniam. Reſtituta Deo mulier eſt, quæ erepta homini dicitur; nec amplius ſuper hac re effari licet. Hoc tam gravi, breviqne reſponſo irati juvenis minas aut repreſſit, aut eluſit, & ille quamvis furenter ab ſermone digreſſus nihil ultra terroribus ſuis effecit, quam ut geſtæ rei fama per hominum ora latius vagaretur.

Ea vero celebritas terrore ipſo, & omnibus minis longe gravior Lezeno fuit. Cum enim Civium honores diligentiſſime effugeret, quidquid illi publicæ laudis accederet ſupplicii loco erat, eaque omnia infeliciter geſta putabat, quæ cum modeſtiæ periculo fierent. Sed magnæ Virtutes nullo ſatis ſtudio teguntur; quin ipſa latendi ſollicitudine provocant mortalium oculos, & majore fama obſcuritatis deſiderium luunt. Creſcebat in dies æſtimatio Viri; Plebeji, Nobileſque totius vitæ rationem præceptis, conſiliiſque ejus addixerant, ac ſeveriore ſemper erga Deum cultu Magiſtri ſapientiam teſtabantur. Illum etiam Archiepiſcopi Mediolanenſes, quos illa ætas tulit, ſummo in honore habuere, quos inter Federicus Caccia, cum moriens bona omnia ſua pauperibus reliquiſſet, haud alium aptiorem exiſtimavit, quem hæreditatis diſpenſatorem, piæq; voluntatis miniſtrum ſupremis tabulis deſtinaret.

Hæc agentem Modoetienſis Eccleſiæ Præfectura Urbi eripuit. Tum vero infula, & lituus antiqua Regiæ Baſilicæ decora diſcuſſere perpetuam illam modeſtiæ nubem, & innoxios aſtus, quibus maximam ſui partem hactenus tegere conatus erat. Cum enim ſupremo in loco emineret, & ipſum undique aut ſingulorum neceſſitates, aut publica negotia peterent, in

rebu s

rebus gerendis prudentia, erga egenos miſericordia, divinis in miniſteriis gravitas, & ſollicitudo ſtatim ſe ſe prodidere. Pauperum præcipue acclamationes cohiberi non poterant; ſubmiſſaque per fidos homines latenter auxilia, cum rogandi pudorem tollerent, geminata beneficii jucunditate impenſius laudabantur. Conſtitutus jam antea Modoetiæ locus erat, in quo ad maturam uſque nuptiis ætatem puellæ alerentur, quibus ex orbitate ſimul, ac domeſticæ rei inopia periculum immineret. Sanctam adeo rem tenuitate redditnum laborantem non modo Archipresbyter ære ſuo ſuſtinuit, verum etiam piæ mulieri auctor fuit, ut publicum illud pudicitiæ aſylum haud ſpernenda hæreditate firmaret. Eadem liberalitate ornata exquiſitiſſimis picturis teſtudo Templi, additum pontificiis inſignibus umbellæ decus, propugnata Coronæ Ferreæ dignitas, quæ cum tantas ætate noſtra contentiones excitaverit haud abs re erit totius cauſæ ſummam paucis exponere.

Coronam hanc auro, gemmiſque compactam inter Modoetienſis Eccleſiæ theſauros tot antea ſæculis extitiſſe, ac Cæſarum capiti impoſitam, quoties Italici Regni inſignia capeſſerent, vel modice antiquitatis periti facile norunt. Vetuſtiſſima inſuper apud incolas fama erat, Ferreum Circulum, ex quo nomen acceperat, introrſus circumductum alterum eſſe e clavis, qui Chriſtum Dominum cruci affixerant; nec diſpar famæ religio invaluerat velut Corona illa non tam inter regalis opulentiæ dona, quam inter Humanæ Redemptionis monumenta emineret. Ac præter cultum hunc,

cujus

cujus antiquitas omnem hominum memoriam excederet, graviſſima quoque argumenta confirmandæ incolarum opinioni afferebantur. Helenam Conſtantini Cæſaris matrem alterum ex Dominicæ Crucis Clavis, ut S. Ambroſius teſtatur, intexuiſſe filii diademati, neque extra Modoetiæ Templum oſtendi poſſe diadema, cui adnexi tanti pignoris gloriam fama tribuat. Porro Diadematis nomen Coronæ loco poſitum ſatis ex ulterioribus Ambroſii verbis intelligi. Quid vero attinuiſſe maximos totius Europæ Principes tam longa itinera, & periculoſas expeditiones ſuſcipere, ut ex eo præſertim inſigni ſupremæ poteſtatis auſpicia caperent, ſi nihil in ipſo præter gemmas, atque aurum, calcata videlicet Regum pedibus ornamenta contineretur? Potuiſſe utique coronam aliam conflari, Urbem aliam deligi, quo majore pompa, ac minore periculo inaugurationis hujus ſolemnia peragerent. Cur præterea gemmato, aureoque diademati inditum e ferro nomen, niſi quod pretioſiſſimi quoque lapilli, & nobile quodvis metalli genus præ illius ferreæ laminæ dignitate vileſceret? Cur denique in tanta auri, ferrique copia tam anguſtus coronæ orbis, ut ægre ſummo vertici inſideat? Nimirum, cum aurum aliud adjungi facillimum eſſet, ferri pars alia ſimilis addi non poterat. Hæc, atque alia publicæ fidei firmamenta critici homines ſubtiliter interpretando convellere conabantur, ſublatoque Coronæ cultu eo Modoetienſes adduxerant, ut Romanæ Sedis judicium ſubire cogerentur. Lezenus igitur mærentem injuriæ novitate Eccleſiam nactus inſtitit ſuadere incolis, ut antiquiſſimum illud

Patriæ

Patriæ ſuæ decus ab recenti adverſariorum invidia vindicarent. Id facile obtinuit deſponſa in cauſam pecuniæ ſumma, ſine qua notiſſima etiam jura obmuteſcunt. Productæ veteres tabulæ, collecta hiſtoriarum documenta, excepta ſeniorum teſtimonia, quibus ſedulo, ac mature perſpectis itum a Romanis Patribus in hanc ſententiam eſt. *Licere Coronam Ferream inter Dominicæ Paſſionis reliquias retineri*; *quin etiam ſeparatim a cæteris in publicæ religionis ſolatium circumferri.*

Hoc decreto proſtratis inimicorum conatibus triumphatrix Corona pridie nonas Septembris, anno milleſimo, ſeptingenteſimo, decimo octavo delata per frequentiores Oppidi vias magno incolarum gaudio, finitimorum concurſu, ac tanta fortaſſe pompa, quanta olim Imperatorum capiti impoſita fuerat.

Sermo interim in vulgus ibat unde tot Lezeno divitiæ, quibus & opem ferre privatis neceſſitatibus, & rem juvare publicam poſſet. Sed non ita mirabantur, qui omnem ejus vitæ rationem exploratam habebant. Ingentis patrimonii loco frugalitas erat; effecerantque continuata domi jejunia, ne foris pauperibus alimenta deeſſent. Non ibi ſplendidæ cum amicis comeſſationes, non peregrini operis ſupellex, non ſerica veſtis, non obſidentes Sacerdotii vectigalia conſanguinei, & inertem vitam in ſpem futuræ hæreditatis agentes. Expenſarum omnium, quæ in quotidianos uſus fierent, ex neceſſitate conſilium petebatur; & niſi hoſpitii urbanitas laxare aliquando anguſtias cogeret, reliquum vitæ cultum intra ſeveræ paupertatis termi-

nos parſimonia concluſerat. Ita cum patrimonium omne adminiſtraret pietas, annui redditus abunde ſupererant, quos nonnunquam inexpectato anni fine populator familiarum luxus abſumit.

Inter hæc ſenectus homini obrepſit cum ſuomet pondere, tum maxime attritis aſſiduo labore corporibus grave malum. Itaque cum deficere vires, & jam publicis curis impares eſſe ſentiret, moliri diſceſſum ex provincia cœpit, ac ſolitarium aliquem locum exquirere, in quo procul a civilium negotiorum tumultu reliquum vitæ tempus tranquilla rerum æternarum cogitatione traduceret. In id Rhaudenſe Collegium præ cæteris placuit, quo cum ex longa veluti navigatione appuliſſet, collectas hactenus pietatis, & ſapientiæ merces in eorum ſinu deponere viſus eſt, quos labentis vitæ ſocios, & mortis teſtes elegerat. Magnas ſane utilitates ea Familia retulit ex conſpectu ipſo graviſſimi Viri, cujus omnis agendi ratio eximiæ virtutis documentum aliquod contineret. Inſtar miraculi erat, cum ſomni tempora appeterent, rudi culmo incubans ſenex, caſtigandique corporis ne dormiendo quidem intermiſſa ſeveritas. Ex illa tam delicata, mollique culcitra, accerrima quamvis hieme, tribus ante ſolis ortum horis ſe ſe proripere ſolitus erat, nixuſque genibus, ac defixa in Deum cogitatione optatiſſimum Divinæ Rei faciendæ tempus expectabat. Tum ex altari rediens priores latebras repetebat, occultaturus quos inde retulerat pios animi motus, niſi effugientes ex ore gemitus, & ab imo pectore dilapſa ſuſpiria cuſtodiam omnem

omnem feſelliſſent. Id vitæ genus cum octo annos conſtantiſſime tenuiſſet, gravante vim febris ſenecta, tridui morbo ſuccubuit. Tunc demum reliqua ſanctitatis indicia prodiere, flagella nimirum, & catenulæ cruore reſperſæ, quas ille inter chariſſima ſimul, & occultiſſima rerum ſuarum habuerat. Inſignem funeris pompam effecere pauperum lacrymæ, cæterorumque ex omni Regione confluentium mixtæ ſuſpiriis gratulationes, cum & terris ereptum dolerent, & cœlo datum pro certo crederent. Fuit ille ſemper humanarum rerum contemptor eximius, paternæ domus calamitates, & adverſa omnia æquo animo tulit, & immutabilem illam mentis hilaritatem bonæ conſcientiæ teſtem ad extrema uſque vitæ momenta retinuit. Quidquid ex Eccleſiaſtico reddito ſuperfuerat Collegio legavit particeps futurus ſanctiſſimarum rerum, quæ ibi gererentur, etiam poſtquam inter homines eſſe deſierat. Sepultus eſt in proximo Deiparæ Templo; & ne modeſtiæ, cujus omni vitæ tempore ſtudioſiſſimus fuerat, poſt mortem injuria fieret, plumbea lamina cum ipſo condita, quæ ſplendorem nominis ejus inter tumuli tenebras pauciſſimis hiſce literis cuſtodiret.

JOANNES LEZENUS
SODALITII OBLATORUM PRÆPOSITUS GENERALIS,
DEINDE ARCHIPRESBYTER MODOETIÆ
OCTAVO POSTQUAM SE INCLYTO ILLO SACERDOTIO ABDICAVERAT ANNO OBIIT IN COLLEGIO RHAUDI DIE 14. FEBR. 1733.
ANNOS NATUS 86.

Ad Collegium Rhaudenſe Appendix.

COllegii Rhaudenſis utilitas, cum in omnes Inſubriæ partes late diffunderetur, tum maxime ad Oppidum ipſum, & finitima loca pertinebat. Spatioſa Regio, atque ob ſoli fertilitatem vicis, & cultoribus frequens inter amæna camporum, & ruris delicias habere ſe ſe gloriabatur quidquid incolarum pietas invidere magnis etiam Urbibus poſſet. Myſteriorum adminiſtratio, ſolemnia Sacrorum, crebri de Divinis rebus ſermones, &, quo ſæpe ſolatio deſtituitur agreſtium multitudo, paratæ ſemper peccata ſua deflentibus Sacerdotum aures, hæc, inquam, omnia effecerant, ut procul ab omni urbanæ magnificentiæ cultu neminem tamen æternæ ſalutis cupidum domicilii ſui, ſuæque Patriæ pœniteret. Id ſatis declarant aſſidui Oppidanorum, advenarumque concurſus, quos illuc ad obeunda religionis officia ſive virtutis amor, ſive in tanta opportunitate remedii vehementius urens conſcientia vitiorum impellit. Non frigoris inclementia, non æſtus obſtiterit, quominus ſoluti familiæ curis Templum frequentes adeant, ibique pia deſideria expleant qualia quiſque ex ædibus ſuis attulerit.

Hinc fama loco, atque ex ea honeſti animi Viro ſuborta cupiditas, ut popularibus ſuis aliquod ejuſmodi auxilium compararet. Benedictus Landrianus ex

Col-

Collegio Sacerdotum, qui in primario Buſti Arſitii Templo pſalmodiæ ſtatutas horas impendunt, animarum inſuper curam ex Sacerdotii inſtitutione adminiſtrabat. Oppidum eſt viceſimo ab Urbe milliari in anteacta tempora vetuſtate ſua uſque adeo recedens, ut originem ejus nemo pro certo tradere poſſit. Buſta Gallorum inibi fuiſſe ferunt, quo tempore Belloveſo Duce ſuperatis Alpibus, ac debellato Etruſcorum exercitu hanc Italiæ partem occupavere. Ex funeſto deinde incendio, quo magna pars ædium conflagraverat, ſive ad diſcrimen cognominis alterius Pagi, ſive ad memoriam calamitatis, Arſitium appellari cæptum. Utcumque ea ſint, tanta eſt temporibus noſtris Loci nobilitas, ut nulla in re commemoratione antiquitatis indigeat. Fertiles circum agri, ſalubre cœlum, vini, ac pomiferarum arborum copia ingens, alia denique naturæ dona, ex quibus Municipiorum, Populorumque felicitatem metimur. Intus elegantia domorum, fora, Prætorium, officinæ, multaque artium genera, quibus ad augenda publica commoda viri, fœminæque naturæ munificentiam æmulantur. Sed nulla res incolis opportunior, quam ex nundinarum frequentia mutuæ vendendi, emendique utilitates. Statis diebus natalis ſoli munera ferentes in foro adſunt, eorumque pretia mercibus aliis commutantes, quarum omnis generis apparatum in conſpectu habent.

Par opulentiæ religio, qua denique meruere, ut ejus Regionis Præfectura, quæ olim Olgiati prope Olonam ſacris in rebus exercebatur, ex D. Caroli

decreto

decreto ad ipſos perveniret. Abditam in clauſtris vitam ſacræ Virgines agunt, præter ingentem aliarum numerum, quæ, permiſſo in publicum egreſſu, virginalis vitæ ſeveritatem intra domeſticos parietes ſub D. Urſulæ auſpiciis imitantur. Templum D. Jo: Baptiſtæ poſuere Majores ea plane magnificentia, qua Prophetarum maximum coli decebat. Veſtibulum ſectis lapidibus, frontem ſtatuis, aliiſque ſculpturæ inventis recentior ætas ornavit, dejectis etiam circumquaque ædificiis, ne quidquam in tam jucundo aſpectu cupiditati oculorum officeret. Interiora auro, & marmoribus nitent, ut vix notari ſinant amplitudinem molis, ex qua maxima pars majeſtatis cæteris rebus accedit. Nec alia ſane anguſtior ædes æquare poterat aut reliquam Oppidi dignitatem, aut multitudinem hominum, quorum ad ſeptem millia ut plurimum cenſa dicuntur. Angelorum etiam Principi haud multum minore ſumptu ſacra ædes ſtetit, cujus eximia decora, ſicut aliarum ædium, quanquam invitus præterire cogor, ne plus juſto a propoſita rerum narratione diſcedam.

Verum in hac tanta Patriæ ſuæ celebritate una res Landrianum angebat, quod, cum cætera omnia in dies ampliora fierent, animarum cura eodem, quo fuerat, loco remaneret. Præerant equidem Sacris diligentiſſimi Viri, qui neque in dijudicandis prudentiam, neque in excolendis Populi moribus ſolertiam ſuam deſiderari paterentur. Sed enim vir ſapiens, & plurium annorum experimento edoctus optime noverat non poſſe tantam populi multitudinem modico illo

Sa-

Sacerdotum numero ſuſtineri. Itaque totus in illo erat, ut, quantum avitis, ſuiſque opibus poterat, ſimul publicæ pietati conſuleret, & Paſtorale munus æquis cum aliarum rerum dignitate incrementis illuſtraret. Agellum habebat ab ipſo Oppidi ingreſſu, qua in Orientem vergit, modice diſtantem, libero cœlo, ac patenti planitie; eaque amænitas ſimul, ac vicinitas Oppidi mire favebat cogitationibus, quas ipſe ſecum de amplificandis ſacrarum rerum ſtudiis agitabat. Ædem Deiparæ Virgini jampridem ibi excitaverat, emptoque ſpatio aperuerat viam, quæ incolas Loci per aperti aeris delicias, & ambulandi voluptatem ad imploranda Magnæ Matris auxilia deduceret. Huic igitur ædi Collegium addere parat, duoſque ex Rhaudenſibus Oblatis arceſſere, ſi forte illuc domicilium traducere, & inſtituta Apoſtolici muneris vellent. Id quam enixe cuperet ſupremæ tabulæ declarant, quibus inſuper bona relicta in ædificii ſumptus, & Sacerdotum alimenta deſignantur. Ego vero pietatem ipſam, & flagrantiſſimum publicæ ſalutis deſiderium impedimento fuiſſe arbitror, quominus onera cum viribus æqua æſtimatione conferret. Sane ex omnibus teſtamenti literis ardor quidam animi elucet tendentis in omnia officiorum genera, quibus ferme Reipublicæ felicitas conſtat. Gymnaſia juventuti, conciones ad Populum, crebri ad ægrotos acceſſus, ſecreta de Sacerdotalis vitæ ſanctitate colloquia, nonnullaque alia poſcebantur, plura nimirum, & graviora quam quibus patrimonium illud, eaque paucitas Sacerdotum ſufficeret. Quod niſi hujus

volun-

voluntatis executoribus demendi, addendique poteſtatem feciſſet, prout ad rei ſummam expedire videretur, haud dubium erat quin, ipſo mortuo, omnis Collegii memoria eodem tumulo condita remaneret. Sed divinitus deſtinata faciles ſemper vias inveniunt, & per incerta quamvis judicia hominum certiſſimos exitus aſſequuntur. Habito itaque Patrum conventu, cum de tollendis, reformandiſque conditionibus ſermo eſſet, tantus in eandem ſententiam conſenſus fuit, ut tota res non humanis conſiliis, ſed cœlitus conſtituta videretur. Acta in illo conventu rata Archiepiſcopus habuit; ac per Bonifacium Bartholomæum Reinam in publicas tabulas ſunt relata.

Cæterum ſi in arcanos hominum ſenſus inſpicere homini licet, atque abdita cogitationum ex conjecturis interpretari, haud ego dubito quin ea Landriani mens majus aliquid ſpectaret quam illa duorum Sacerdotum auxilia, quæ ex aliena terra petebantur. Quid enim ſplendoris ad Oppidi famam, aut quantum opis in tanta incolarum multitudine Collegium duorum afferret? Hæc per ſe parva dictu prudens alia cogitatio extollebat, initia ſcilicet rerum, non tam præſenti dignitate, quam ſpe futuræ magnitudinis æſtimari. Arridere cæptis omnia videbantur, Regionis ubertas, divitum pietas, Populi favor futurus in dies major, ubi ad novæ rei pulchritudinem utilitatis ſenſus accederet. Ex ipſa equidem ædificii majeſtate ſupra annuæ pecuniæ modum altius aſſurgentis augurari licet, nonnullos aliquando futuros, qui munerum largitate nullam aliam

Lan-

Landriano præter incæptæ rei gloriam relinquant. Sed, quidquid iſta momenti habeant, omnis denique fiducia ex Deo petenda eſt, quem ut Auctorem fuiſſe conſilii, ita fore adjutorem credere libet. Qua enim in re non honoris ambitio, non divitiarum amor, non ullum humanæ ſapientiæ artificium interfuit, ibi ſas eſt fauſta omnia, & propitios exitus expectari.

De Bibliotheca Ambroſiana.

CAP. VIII.

Lib. III. cap. 7.

VAlerius Maximus pulcherrima Romanorum, aliarumque nationum facta commemorare aggreſſus elegantiſſime queritur, ſe, quoties eximium aliquid, ac ſingulare proferre voluerit, ab Scipionum domo diſcedere non poſſe. In quamcumque partem, inquit, memorabilium exemplorum convertar, velim, nolim in cognomine Scipionum hæream neceſſe eſt. Eodem ego querelæ genere in qualicumque hac rerum noſtrarum hiſtoria uti poſſum. Nam quoties initia pulcherrimorum operum recenſenda ſunt, quæ ſplendoris, præſidiique aliquid Civitati noſtræ poſterioribus hiſce ſæculis attulere, velim, nolim Borromæum nomen repetere cogor, atque inde omnem narrationis ſeriem exordiri. Attulerat ſalutem Carolus perditæ pene Urbi, jacentem ſacrarum rerum dignitatem erexerat, Cleri ſtudia, Populi mores, ſuis quæque legibus apte formaverat, Rempublicam denique ita conſtitutam reliquerat, ut nihil ſucceſſoribus ejus ad novæ laudis materiem ſupereſſe videretur. At paulo poſt Federicus ex eadem familia in hujus Eccleſiæ ſpecula collocatus ſatis oſtendit, in magna præſertim Urbe, magnoque Populo, nunquam deeſſe Epiſcopis agendi cauſas, niſi amor, & cura defuerit. Hinc initæ cum Regiis Magiſtratibus concordiæ conditiones,

ditiones, illuſtrata molibus argenteis altaria, liberata Templa ſqualore, aut periculo vetuſtatis, Concilium Provinciæ habitum renovandis legum remediis, quas prona in deterius hominum mens cito in oblivionem vertit. Verum hæc, atque alia permulta admiranda posteris, aliiſque voluminibus late comprehenſa hoc loco repetere inutilis verborum oſtentatio fuerit. Rem unam præ cæteris attinet memorari, cujus magnitudo tot exterorum ſcriptis celebrata plus fortaſſe laudis, quam diligentiæ poſteriori ævo apud Cives invenit.

Firmata Eccleſiæ pace Federicus, compoſitiſque omnibus, quæ ad Divina miniſteria pertinent, ad amæniora inde ſtudia vertit animum, ut quemadmodum ipſe ad pietatem ſimul, & literas excellenti ingenio præditus erat, ſic utroque naturæ munere ad Patriæ utilitatem uteretur. Ferociſſima quondam Civitas, nec niſi poſt domitas Hiſpanias, captamque Carthaginem Romanorum denique armis victa, poſtquam nulla ſpes erat recuperandæ libertatis, excolere literis ſuorum ingenia cœperat, velut cum Principe illo terrarum Orbis Populo pacis artibus certatura, cui par eſſe bello non poterat. Palatinæ Scholæ in hanc uſque diem remanent, nota Auguſtini temporibus ſcientiarum domicilia, quo nomine, aliorumque doctorum fama Principum gratiam, & annuas penſiones meruere. Librorum etiam copiam ingenuis hominibus publice expoſitam fuiſſe conſtat, direptam deinde vel funeſto illo Ænobarbi tempore, vel alio quopiam bellorum caſu, quæ nunquam ſine pernicie liberalium artium in Regna, &

Urbes incumbunt. Publica hæc ſapientiæ ſubſidia deeſſe Mediolani ægre ferens Borromæus deſignat in media fere Urbe Bibliothecæ locum ea plane magnificentia, quæ rerum omnium ab illo geſtarum perpetua comes fuit. Edita late domorum ſtrages excelſæ moli ſpatium dedit, conquiſitique ex omni parte artifices quidquid in tali re excogitari poterat ad novi operis majeſtatem, ſive elegantiam contulere. Idonei deinde viri cum pecunia, & commendatitiis literis miſsi, ut lectiſſimos codices ſive typis impreſſos, ſive manu exaratos, nulla habita ſumptus ratione, compararent. Vincentii Pinellii Bibliotheca multis eo tempore celebrata ſermonibus in hanc denique noſtram Neapoli advecta inſtar minorum amnium fuit poſtquam regium aliquod flumen intravere. Peragrata totius Italiæ ora, itum in omnia Regna, quæ Europæ nomine continentur, miſſaque inde Mediolanum volumina æſtimanda multo auro, & vitæ periculis, quibus perſæpe emi neceſſe fuit. Præcipua vero expenſarum, atque itinerum merces fuere membranæ, vetuſtiſſimique codices, quorum ad multa millia nondum prælum ſubiere. Magna illorum pars e ſupero mari allata, cum in ea littora miſſi legati nobiles Inſulas, & toties direptæ Græciæ rudera ſcrutarentur, ſi quid fortaſſe ex antiquæ ſapientiæ monumentis poſt tot rapinas, & incendia reliquum foret. Hinc ad ſubjecta Turcarum Imperio loca Bizantium, Hierapolim, Hieroſolymam veſtigandi, emendique cura pervènit, magno equidem Federici gaudio, qui miſſa ſibi pretioſiſſima humanitatis auxilia ex ipſo

Bar-

Barbariæ ſinu videret. Interim ille contemptor divitiarum animus altiora meditari cœperat, quam ea, quæ tunc homines mirabantur. Delectos ex Seminarienſi Gymnaſio juvenes diligentiſſime erudiri jubebat, magiſtros inde habiturus, qui in futuras ætates ex tanta illa librorum varietate præclarum aliquid, ac Reipublicæ profuturum depromerent. Hos, poſtquam congruentia muneri experimenta dederant, aureo numiſmate, aliiſque titulis inſignitos, proſequente Senatu, ac primoribus Civitatis in Bibliothecam induxit, quam, ſive religione erga Patronum Urbis, ſive modeſtiæ ſtudio, poſthabito Familiæ ſuæ nomine, Ambroſianam appellavit. Eadem appellatio manſit Collegio Doctorum, quos ibi Archiepiſcopus collocavit. Fuere autem Antonius Olgiatus, Antonius Salmatius, Joſeph Ripamontius, Antonius Gigæus, Franciſcus Bernardinus Ferrarius, Benedictus Sociacus, Franciſcus Collius, Antonius Ruſca, Joſeph Vicecomes ex Oblatorum numero aliqui, at certe omnes Oblatorum Alumni. Mihi tamen Sodales tantummodo noſtros in hanc lucem educere propoſitum eſt, atque oſtendere poſteris ſi quam forte gloriæ partem laboribus ſuis, ſcriptiſque meruere. Sed prius immortales gratiæ Conditori munificentiſſimo habendæ ſunt, quod cum ejus Collegii inſtituta deſcriberet, tam benevolo erga nos animo agere voluerit. Lex eſt Sixti V. Pontificis Max. Apoſtolico diplomate confirmata *Bibliothecæ Ambroſianæ Præfectus ex Oblatorum Sodalitio ſemper eſto.*

Primus igitur omnium Olgiatus univerſæ rei præpo-

ponitur; idque datum non modo hominis ingenio, verum etiam auctoritati, quod Collegas ſere omnes, cum in Seminario majori Præceptoris officio fungeretur, tanti ſcilicet nominis Viros auditores habuiſſet. Græce, ac Latine doctus, & multiplici eruditione Civibus charus amicitias etiam cum exteris, ac præcipue cum Marco Velſero per epiſtolas junxerat, a quo uno diligi magnum præſtantis ingenii argumentum erat. Fuit enim Velſerus doctrinæ, prudentiæque fama inter primos ſæculi illius, Auguſtæ Vindelicorum Duumvir ea lege præfectus, ut vivo nunquam abrogaretur imperium. Porro ejus viri benevolentia non jucundiſſime tantum Olgiatus, verum etiam utiliſſime eſt uſus. Cum enim aſſiduis itineribus poſt cætera Belgarum emporia Auguſtam denique perveniſſet, exquiſitiſſimos codices illius ductu, & auctoritate collegit, quos cum multa alia ejuſdem generis ſupellectile ad hanc Urbem præmiſit. Germanica deinde, & Gallica expeditione abſolutis, Mediolanum reverſus, docendoque, & peregrinando ſenex factus reliquum vitæ ſpatium componendis Bibliothecæ initiis abſumpſit. Id in cauſa eſt, cur ex illa dicendi ubertate, promptiſſimoque ad excogitandum ingenio nihil tamen ad poſteros, præter famam pervenerit. Tot enim librorum millibus diligenter recognitis, atq; in loculos apte diſtributis, cum vitæ finem adeſſe ſentiret, Luganum rediit, ibi reliquias corporis relicturus, unde primordia lucis, & ſtudiorum acceperat.

Sufficitur ei Antonius Salmatius, qui permultos Græ-

Græcanicæ doctrinæ theſauros eodem prope labore in Inſubriam adduxerat, quo aureum vellus ex Colchide allatum Poetæ fabulantur. Luſtrato omni Adriatico ſinu, ad Jonii maris extrema proram obverterat librariæ prædæ inhians, quam fama erat circum ea littora pretioſiſſimam aſſervari. Sed huic quoque aureo velleri, præter horribiles procellarum minas, circumdata erant monſtra ſeu Græcæ perfidiæ, ſeu Turcicæ feritatis, quorum alia prudenter eludere, alia lenire pecuniis non leve homini negotium fuit. Atrociſſima pœnarum, & mortis genera Barbari meditabantur niſi quamprimum inde faceſſeret, ac injurioſa illa, ut ajebant, Regionibus ſuis negotiatione abſtineret. Is terror, etſi diutius morari prohibebat, non tamen obſtitit quominus ex Corcyra, & Chio, finitimiſque Inſulis uberem peregrinationis ſuæ fructum referret. Hæc foris a Salmatio geſta, cui parta deinceps domi decora perpetuam nominis memoriam peperere. Joannis Zonaræ libros in Canones veterum Conciliorum primus omnium latinitate donavit, paſchales item S. Cyrilli orationes, quas cum Andreas Schottus e Societate Jeſu vir doctiſſimus eodem interpretationis genere illuſtratas publici juris facere cogitaret, admirabili modeſtiæ exemplo typographorum pene manibus ſubduxit, ut integram ejus operis gloriam Salmatio relinqueret. Illud etiam notatu dignum eſt quod D. Ennodii carmina, aliaſq; lucubrationes eidem Salmatio nuncupavit, multa honorifice præfatus de Ambroſiani Collegii Doctoribus, in quorum Cœtu libentius, quam ulla alia terra-

Ex ejus literis ad Card. Federic. Borromæum.

terrarum parte victurum ſe ſe affirmabat, ſi per ætatem, ac Sodalitii ſui inſtituta licuiſſet.

Capeſſit ſubinde Collegii Præfecturam Franciſcus Bernardinus Ferrarius locupletandæ Bibliothecæ cura, & ſcribendi ſtudio nemini illorum ſecundus, quos collegas in eo munere habuit. Hiſpania illi in partitione provinciarum obtigerat, cum Borromæus Mecænas ad comparandam librorum copiam in omnia Aſiæ, atque Europæ regna reſpiceret. Complutum, Toletum, Madritum, aliæque literarum cultu celebratæ Urbes ditiorem ad Inſubres Ferrarium remiſere, non modo opulentia mercium, quarum deſiderio abierat, verum etiam contubernio, & familiaritate ſapientiſſimorum hominum, ex quorum alloquio nunquam ſine proventu nata ſcientiis ingenia diſcedunt. Redeuntem eo majore gaudio excepit Federicus, quod gravibus morbis in itinere conflictatum audierat. At ille, viribus ex diuturna jactatione refectis, literariæ rei, quam hactenus peregrinis opibus auxerat, nova ornamenta ingenio ſuo addere inſtituit. Librum unum edidit de Veterum acclamationibus, & plauſu; altero edocuit quo præſertim ſtylo, ac formula in conſcribendis Eccleſiaſticis epiſtolis antiqui Patres uterentur. Nec parum illi ad famam profuit volumen aliud, in quo de ſacris Catholicæ Eccleſiæ concionibus tam accurate, eruditeque diſſeruit, ut iterum Pariſienſibus typis laborandum fuerit, ne exemplarium paucitas jejuna Literatorum deſideria relinqueret. Hæc fuere primæva Oblatorum ſtudia poſtquam Ambroſianam hanc Bibliothecam

thecam inierant. Inſtitere deinde alii veſtigiis iisdem, quorum nomina non ante arbitror memorari debere quam de ipſo Inſtitutore Collegii pauca repetam.

Excelſo illo, quo erat, animo nobiliores linguas, quibus Oriens loquitur in Collegium inducere conabatur, intentis in omnem partem oculis, ſi quos alicubi earum interpretes inveniret. Huic autem conſilio ſublimior alia cauſa, quam eruditionis, & eloquentiæ inerat. Deſcripta ſiquidem nativis earum gentium literis Chriſtianæ Religionis elementa in Aſiam tranſmittere parabat, ut delapſam Cœlo ſapientiam ex patrio quilibet charactere tacito quodam ſono loquentem audiret. Id Fidei noſtræ glorioſum fore affirmabant graviſſimi Viri, Carmelitæ præſertim excalceati, qui per ea tempora prædicandi Evangelii cauſa in Perſidem mittebantur. Sterni ita poſſe quampluribus ad ſalutem iter religioſe ominabantur, ſacroſque oratores in propaganda Divinæ Fidei luce minus negotii habituros, ſi obcæcatis idolorum ſuperſtitione mentibus prævius aliquis fulgor per legendi occaſionem illuceſceret. Ægre tamen conſilia procedebant, cum rari admodum præceptores ex tam longinquis Provinciis haberi poſſent, nonnulli etiam ad captandum minerval inconditis, abſurdiſque vocibus idiomatis ſcientiam mentirentur. Id in cauſa fuit, cur Federico mortuo, cujus ſollicitudine, & opibus ſteterat, totius rei moles inter ipſa initia concideret, deploratoque inpoſterum proventu balbutientes adhuc Orientis linguæ Mediolani obmuteſcerent.

Unus ex Sodalitio noſtro prodiit Antonius Gigæus,

qui tot antea in eam rem impenſis laboribus pretium feciſſe videri potuit. Perſici, & Arabici ſermonis adeo peritus fuit, ut ejus ultro addiſcendi faciliorem modum poſteritati tradiderit. Chaldaice inſuper, Hebraice, ac Syriace doctus, tribus Rabbinorum commentariis latine redditis, proverbia Salomonis, permultaque alia Divinæ Scripturæ loca ad fidem vetuſtiſſimorum codicum explicavit. His aliiſque probatum experimentis Urbanus VIII. Pontifex Max. Romam evocaverat, ut Collegium propagandæ Catholicæ Fidei paulo antea conditum multiplici hac peregrini ſermonis ſcientia nobilitaret. Hanc ſibi viam ad ſubliniores gradus ingenii fama aperuerat, niſi immatura mors magnifica vota, & ſpem de illo bene conceptam feſelliſſet.

Feliciorem exitum habuit Conſodalis alter Octavius Ferrarius, qui ſive perculſus Mecænatis interitu, ſive, ut eſt hominum mens, ſplendidioris fortunæ cupidus Mediolano diſcedere, ſuæque ſortis periculum facere apud exteros ſtatuit. Venetias profectus, & commendatione literarum Senatui cognitus Patavium mittitur, ut in celeberrima illa ſcientiarum omnium ſede confluentem undique juventutem Rhætoricæ præceptis exerceat. Quo ubi pervenit, facile ſibi Civitatem omnem conciliavit ſuavitate morum, & dignitate eloquentiæ, quo nexu nihil hominum animos arctius obſtringit. Adeo certe fama virtutum ejus, & eruditionis invaluit, ut ſapientiſſimi Patres de conſervanda Gymnaſii gloria ſolliciti propoſita auri mercede retinendum cenſuerint, quantam vix antea quiſquam ex eo munere retuliſſet.

Huic

Huic autem liberalitati gratiam abunde referre viſus eſt impreſſis Patavii tot ingenii monumentis, quæ ubique gentium celeberrimæ Urbis nomen exornant. Tenebat eo tempore Galliarum Regnum Ludovicus XIV. notus terrarum Orbi magnitudine animi, qua belli, paciſque artes velut in Regni ſocietatem aſſumpſerat. Is cum multa de Viri laudibus, & ingenio accepiſſet, annuum vectigal ex regia pecunia eidem perſolvi juſſit, exemplo illo teſtatus quid ſperare in Gallia præclari homines poſſent ſub illo Principe, cujus liberalitas etiam ad exteros perveniret. Chriſtina quoque Suecorum Regina, cum ſub tutela Summi Pontificis Romæ moraretur, eximium hunc Oratorem aureo torque donaſſe traditur, certa ſcilicet magnificum eſſe, ac regium aliquid tali Viro favere poſtquam id egerat Ludovicus.

Sub Ferrarii diſceſſum paulatim decreſcere Collegium cœperat, Doctoribus aliis morte ereptis, aliis in diverſa loca, ſive munera dilapſis. Ad hæc ſufficere ærarium non poterat tot hominum alimentis, quos hactenus Conditoris munificentia vel ſpe ingentium præmiorum, vel privatis opibus detinebat. Speraverat equidem Federicus, non defuturos in opulenta præſertim, & amica literarum Civitate liberales animos, qui rem publici boni cauſa unice conſtitutam retro ſublabi non ſinerent. Sed eam ſpem irritam fecit improbitas temporum, dum plerique divitum gulæ magis, & oculorum delicias, quam ſcientiarum ſtudia ſectantur, neque fovere literas poſſunt, quas nunquam agnovere.

Stetit tamen & manet adhuc ſua loco dignitas, ut nihil in illa paucitate præter ſuorum vitia damnare Civitas poſſit.

Tulit enim recentior ætas ejuſmodi viros, qui patientia laboris, & ingenii ſama priorum temporum decora æmularentur. Sane cum hæc ipſa literis traderem obverſabatur ante oculos Petrus Paulus Boſcha, ex cujus libris, quos de Ambroſianæ Bibliothecæ origine, & ſtatu elegantiſſime conſcripſit, multa ad rem exequendam mutuatum me eſſe libens profiteor. Ejus eſt opus Mediolanenſe Martyrologium, in quo collecta, & ſuis quæque diebus diſtributa cernuntur Acta Sanctorum, quorum celebritatem anniverſario ritu Ambroſiana Eccleſia proſequitur. Et cum memoriam Gaſparis Vicecomitis, qui vacuum D. Caroli morte Pontificatum inierat, ex proxima tanti Viri comparatione velut in tenebris jacentem aſpiceret, productis ex omni vita clariſſimis virtutum teſtimoniis oſtendit, nihil illi ad nominis gloriam obſtitiſſe, niſi quod Optimo ſucceſſiſſet. Diſputavit etiam de Serpente æneo, quem convoluto in orbem corpore vetuſti operis columnæ inſidentem in antiquiſſimo D. Ambroſii Templo velut Mediolanenſis hiſtoriæ myſterium Cives admirantur. Modoetiæ deinde ſummum inter ſacros homines locum adeptus ſi quid otii Paſtoralibus officiis ſupererat id omne recolendis Eccleſiæ ſuæ monumentis impendit, Regiæque Baſilicæ originem ab Theodolindæ temporibus repetendo, præclarum aliud opus expleviſſe dicitur, cujus evulgandi curam Jacobo Durino ejuſdem

Oppidi

Oppidi Comarcho, irrito hactenus conſilio, commendavit. Adeo denique illuſtrandæ antiquitatis ſtudioſus fuit, ut dum Coronæ Ferreæ ſanctitatem ingraveſcente jam corpore, contra quam alii ſentire videbantur, propugnandam ſuſcepiſſet, inopina mors prope ſcribentem invenerit.

Jam vero extremam narrationis hujus partem merito ſibi vindicat Joſeph Antonius Saxius, de cujus moribus, & ingenio quo plura, & majora dicere poſſim, eo parcius mihi loquendum exiſtimo, ne amicitiæ potius, quam veritati ſervire videar. Itaq; vulgata ſolummodo, & celebrata aliorum ſermonibus referam, privatiſque laudibus prætermiſſis, ſimul modeſtiam ejus, & fidem meam omni periculo abſolvam. Danielem Papebrochium e Societate Jeſu eruditiſſimum Virum, cum in tradendis Sanctorum actis admirabilem illam Joannis Bollandi mentem exequeretur, ſive vulgata Germanorum opinio, ſive confiċta antiquitus documenta eo demum adduxerant, ut SS. Gervaſii, ac Protaſii corpora Briſſaci aſſervari diſerte affirmaret. Antiquus error veri loco invaluerat, Sacros Martyrum cineres, quo tempore Federicus Ænobarbus Urbem hanc noſtram funditus evertendam militibus tradidit, Colonienſi Archiepiſcopo veluti partem prædæ obtigiſſe, mox ab eo, cum in Germaniam reverteretur, Briſſacenſibus dono datos. Sententiam hanc Papebrochii auctoritate firmari ægre, ut par erat, tulere Mediolanenſes, perinde ac Sepulcra Sanctiſſimorum hominum, quibus irati Cæſaris furor pepercerat, Scriptorum manibus

nibus infringi, ac ſpoliari viderent. Verum hanc publici mœroris materiem illico abſterſit edita in publicum diſſertatio, quæ vetuſtiſſimam Ambroſianæ Eccleſiæ fidem ab omni adverſæ famæ ludibrio vindicaret. Porro diſſertationem ipſam tanta argumentorum vi, teſtimoniis, conjecturis Saxius inſtruxerat, ut Papebrochius idem palinodiam canere non dubitarit, laudabili apud Literatos exemplo, ne quis inpoſterum opinionis ſuæ, quam veritatis defenſor haberi mallet.

Ab eo certamine victor, cum ad majora contenderet, opportunam in ipſo Patriæ ſinu amplificandæ gloriæ occaſionem invênit. Nobiliſſimis aliquot Civium hujus ferme ſæculi initio in mentem incidit, ut monumenta rerum Italicarum a quingenteſimo ſalutis anno ad milleſimum quingenteſimum a probatis Scriptoribus edita, atque in unum collecta in conſpectum darent. Rem mole ſua gravem ſollicitudine inſuper alia onerabant Principum favor, & Cæſaris patrocinium, ne quid videlicet in ulla operis parte tantis auſpiciis indignum prodiret. In eam curam conſpiravere Literatorum præcipui, quorum laudibus immorari non eſt hujus loci, & inſtituti. Certe conſtat, Joſephum Antonium Saxium ad incæpti felicitatem plurimum contuliſſe, ſive in vetuſtiſſimos codices inquirendo, ſive chirographis tabulis ex penitiore loco depromptis, quæ cæterarum rerum antiquitati ſpeciem aliquam novitatis aſpergerent. Quin etiam Carolum Sigonium de Italiæ Regno loquentem diligentiſſime proſecutus, ſi quid difficile, vel incertum in hiſtoriam obrepſerat, adjectis

notis

notis uberrime explicavit. Ex quorum comparatione vix memorandus videbatur libellus alter, in quo, & Bibliothecas alias antiquitus Mediolani extitiſſe demonſtrat, & lucubrationes omnes enumerat quas Conditor ipſe Federicus marte ſuo exaratas Bibliothecæ legavit, æternum amoris, & ſapientiæ teſtimonium. Verum ego nihil omittendum exiſtimo, quod ſive ad Patriæ decus, ſive ad dignoſcenda tanti Principis ſtudia quoquo modo pertineat.

Hæc de ſcriptoribus Oblatis eo libentius retuli, quod nonnullos eſſe intellexeram, qui nobis Scriptorum paucitatem velut inopiæ ingeniorum, vel deſidiæ argumentum objicerent. Nam etſi paucorum nomina Protuliſſe videor, qui hoc laudis genere floruerunt, multo tamen plura æquis æſtimatoribus videbuntur, ſi provinciam noſtram totam, quanta eſt, quinquaginta hominum Rempublicam fuiſſe animadvertant. In tantulo enim numero, tantaque officiorum varietate, quantam a nobis ſacrarum rerum, Collegiorumque adminiſtratio requirit, facile intelligi poteſt, quandiu in hac palæſtra detinemur nemini quidquam virium, nedum quietis, ac temporis ſupereſſe. Matura vero, ideſt ad recte cognoſcendum aptiſſima ætate, ad Sacerdotia, & regimen animarum dimittimur, rem ſcilicet gravioribus curis implicitam, quam ut veſtigare aliquis arcana hiſtoriarum, & ſcribendi argumenta conquirere poſſit. Quod ſi aliqui noſtrum in ea gloriæ parte clariſſimorum hominum nomen habuere, eos plerumque unius negotii homines fuiſſe conſtat, ac multos proinde idem

nomen

nomen habituros, ſi quidem uti eodem vitæ genere potuiſſent. Cæterum haud erit alienum pauculos adhuc Scriptores quanquam ex diverſo venientes in hanc hiſtoriæ partem admittere, atque Ambroſiani Collegii Alumnis ob ingeniorum, ſtudiorumque ſimilitudinem ſocios dare.

Hunc ſane locum jure quodam ſibi vindicat Jo: Petrus Puricellus, quod multa cum ingenii ſui, tum præteritorum temporum monumenta Bibliothecæ ipſi reliquerit. Ambroſianæ Baſilicæ decora, qua nihil unquam ſanctius Mediolanenſis religio, aut venerabilius excoluit, quod ex caligine vetuſtatis in hac publica luce verſantur, id ejus viri laboribus, ſtudiiſque debemus. Ædificii primordia, ſepulturam Principum, Sacerdotum jura, miracula, donationes, & ſi quid aliud ad Templi dignitatem pertinet, explorata diligenter omnia per tot gradus, & ſpatia ſæculorum exhibuit, conatus etiam S. Satyri corpus cæteris ornamentis aſſerere, ut ſanctiſſimos Fratres, quorum tanta officiorum, & vitæ concordia fuerat, tumuli quoque propinquitate conjungeret. Ex ea Baſilica diſcedentem uno veluti narrationis curſu excepit Nazariana Ædes, cum ſcilicet inter utramque per Ambroſiii Parentis veſtigia commeatum facilem inveniret. Utramque enim Ambroſius coluerat paribus fere donis, nulloque honoris relicto diſcrimine niſi cineres ſuos, nomenque alteri reliquiſſet. Poſt hæc Herembaldum Cottam, & Arialdum Alciatum Simoniacum ſcelus, & Sacerdotum conjugia ferro, & igni perſecutos perſpicuis documentis ſanctorum loco repoſuit, libe-

liberavitque temeritatis nota, quam eorum nomini nonnulli temporum illorum Scriptores affinxerant. Atque hæc typis edita Civium, exterorumque judicia ſubiere. Cætera manu deſcripta in Bibliothecæ ſcriniis publice latent, vita Laurentii Littæ Archiepiſcopi Mediolani, de Vvilhelmina Bohema judicium, Berengarii Hæreſiarchæ facinora, & poſt inſanos errores ad Catholicam Fidem reditus, graviſſimæ de Euchareſtiæ Sacramento quæſtiones, Humiliatorum origo, & poſt multa præclara ſæcula gloria denique omnis voluptatibus, luxuque demerſa. Tanta homini mens, & illuſtrandæ literariæ rei cupiditas fuit.

Puricellum proxime ſequitur Oliverius Mazuchellus, cujus laudes cum effuſe tractaverint Placidus Pucinellus, & Petrus Paulus Boſcha, lætor hanc periculi partem, in quo alienæ virtutis commendatio verſatur, mihi eſſe detractam. Si quis ejus ingenium experiri voluerit, in promptu eſt liber, quem de Caſibus Reſervatis inſcripſit, utiliſſimum ſane opus iis præſertim, quos expiandis Pœnitentiæ Sacramento hominum culpis Mediolanenſis Præſul deſtinaverit. Nam poſtquam communes locos, & capita veluti ſententiarum expoſuit, graviora crimina ad Archiepiſcopum deferenda ſeparatim enumerat, productis in ſingula documentis, ne quis poteſtatem ſibi commiſſam dubitanter exerceat, aut temere excedat.

Amæniora ſtudia ſectatus eſt Alexander Perlaſca, in cujus orationibus recognoſcere ſe ſe aurea Ciceronis, Auguſtique tempora Carolus Maria Maddius ajebat.

In Epiſtola præfixa iiſd. orationibus.

X Hanc

Hanc vero laudem in tuto poſitam habere Perlaſca viſus eſt, poſtquam Gaſpar Scioppius nodum in ſcirpo quærere aſſuetus non modo omni cenſura abſolutum dimiſit, verum ultro in Maddii Sententiam ire non dubitavit. Tanta equidem fuit puritate, & elegantia ſermonis, ut apud artis peritos nullius culpæ reus vocari poſſit, niſi quod legendi deſiderium diſſertationum ſuarum paucitate decipiat.

Non ita certe parcus in ſcribendo fuit Bartholomæus Platea, vir ſimul eruditionis ſtudio, & laboris patientia memorabilis. Exacta juventute inter communes Sodalitii curas, honorifico Sacerdotio dimiſſo, quod Variſii obtinebat, Romam profectus, cum forte ibi mitiora ſydera quam Mediolani inveniſſet, diligentiam omnem ſuam ad res Romanas illuſtrandas convertit. Duo ſiquidem ſupra viginti diverſarum rerum capita totidem libris complexus eſt, quibus explendis egre quiſquam ſufficere unius hominis vitam exiſtimet, atque ejus præſertim hominis qui ſe ſe, adulta jam ætate, inter aſſiduas fere expeditiones, plureſque alias commiſſæ ſibi provinciæ ſollicitudines, ad hoc ſcribendi ſtudium contulerit. Præpoſitum enim Canonicorum Collegio, atque ob integritatis, & ſapientiæ famam ad graviſſima negotia ſemper adhibitum vix credibile dictu eſt tantum temporis nedum virium habuiſſe, quantum in illa argumentorum multitudine, ac varietate inquirendi, concinandique neceſſitas poſtulabat. Sed enim ſapientiſſime dictum eſt, ut divitiarum, ita temporis commoda non ex re ipſa, ſed ex utentis igenio æſtimari.

De Collegio Aſconenſi.

CAP. IX.

PRoſperos rerum eventus, & feliciſſimi temporis memoriam triſtis, & plena lacrymarum narratio ſequitur, quæ non modo ingentibus beneficiis finem imponat, verumetiam Largitori, ac Patrono optimo funus propemodum inſtruat. Bartholomæus Pappius Aſconenſis, vixdum matura rebus gerendis ætate ex paterna domo diſceſſerat, ſecutus videlicet vel regionis ſuæ morem, vel ingenii vim, quæ ipſa vocare juvenem in ſpem melioris fortunæ videbatur. Romam profectus, ac Civitate donatus brevi adeo profecit, ut inter artis ſuæ viros ſolertia, & opibus emineret. Illud felicitati obſtabat, quod matrimonio inito nullam ex eo prolem ſuſceperat, quam divitiarum hæredem relinqueret. Prona inſuper in ſenium ætas monebat, ut rebus ſuis honeſta aliqua ratione conſuleret, ne, quod ſæpe fit, partas diuturnis laboribus opes brevis ævi luxuria diriperet. Optimum omnium duxit quæ apud exteros invenerat retro convertere ad ſuos, & quoniam nullos ipſe genuiſſet, terram ipſam, in qua genitus erat, participem fortunæ ſuæ facere. Teſtamento itaque condito, Collegium Aſconæ, legatis in id viginti quinque millibus aureorum, excitari mandavit, in quo incolarum juventus honeſtis artibus educaretur, Patris nomen hoc

ipſo perpetuum habiturus quod ſine liberis deceſſiſſet.

Nec ſane indignus beneficio locus erat cum ob alia naturæ dona, tum etiam quod tales erga patriam animos gigneret. Ferax, ut in confiniis Alpium, Regio vineta, & ſegetes alit, atque ex Germania venientibus lætum quoddam incipientis Italiæ rudimentum oſtendit. Porrecta ab radicibus montium planities Verbano clauditur lacu, adeo favente natura, ut frugum proventus utilitatum aliarum initio definiat. Partem aliam agri flumen interſecat lectiſſimo piſcium genere abundans, leni curſu, ac pellucidis aquis, niſi cum nivibus, aut pluviis auctus lignorum ſtruem, & congeſta ſpolia ſilvarum horribili fragore in lacum evolvit. Alia ſi quæ deſunt vitæ commoda ex proximo littore Locarnum ſuppeditat, mercaturæ cultu, & frequentibus nundinis celebre Oppidum.

Sed nulla interim apud incolas erant ſtudia literarum, cum neque gymnaſia domi haberent, & paucos admodum in alienas terras migrare rei familiaris anguſtia ſineret. Id patriæ ſuæ malum ægre ferens Pappius, poſtquam ædificando Collegio tam ingentem pecuniæ vim deſtinaverat, Summum Pontificem ſuppliciter rogabat, ne tam ſalutaris conſilii curam ſuſcipere gravaretur. Anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio, biennio poſtquam Pappius deceſſerat, Gregorius XIII. teſtamenti tabulas, & unaquæque deſcripta hæreditatis jura ad S. Carolum cum his literis miſit. Caveret in primis ne qua piæ voluntati injuria fieret, aptum Collegio locum deligeret, leges

Alumnis

Alumnis daret, quidquid in ea re ageret, id ſe pro rato, & firmo habiturum. Voluerat equidem Pappius hunc ædibus ſuis honorem haberi, ut ex eadem domo, in qua natus ipſe erat, nobiliſſimarum artium ſtudia apud populares ſuos orirentur. Quod, cum graviſſima ſecum incommoda afferret, abrogari mandatum neceſſe fuit. Ædem Deiparæ Miſerenti antiquitus ſacraverant Aſconenſes, idque in publicis, privatiſque neceſſitatibus commune perfugium erat. Huic Ædi ut Collegium adjungeret permovit Sanctiſſimum Præſulem religio loci, & Virginis patrocinium, ex quo rerum omnium initia capere conſueverat. Sequenti anno, cum ſcilicet aliqua ædificii pars ad faſtigium perveniſſet, occulta quadam vi agebatur, ne moram amplius ullam conſtituendæ in perpetuum rei interponeret. Itaque ex ſacro Varalli Monte digreſſus, quo ad contemplanda Dominicæ Paſſionis myſteria proceſſerat, quamquam & nox appetebat, & tertiana tentari jam cœperat, nullis aut amicorum precibus, aut propinquorum conſiliis inhiberi potuit quin illico Aſconam verſus navigationem indiceret. Poſtero die, qui fuit pridie calendas Novembris, adverſante vento, ægre in litus evectus, advocato ſtatim Gentis concilio privilegia, & honores Collegio firmavit, nec ultra moratus Cannobium rediit. Tum demum apparuit quo illa ſpectaret agendi celeritas, quæ præceps fortaſſe, & egena conſilii aliquibus videbatur. Sæviente ſiquidem interius febri, atque ambiguis indiciis fallente Medicorum artes, quarto, poſtquam inde diſceſſe-

rat,

rat, die Mediolani moritur. Sane, cum Aſconam iturus navim prope conſcenderet, cuidam ex familiaribus amice ſuadenti, ut feſſum corpus noctis illius quiete reficeret, diſerte affirmaverat, ſi tunc ire cunctaretur, tempus ſibi ad ea, quæ parabat perpetuo defuturum. Ita Vir clariſſimus extremas vitæ reliquias excidere ſibi ſine publica utilitate non tulit, ut non ante alienæ ſalutis ſtudium, quam hoc mortale corpus deſerviſſe videretur.

Poſt Caroli obitum excepere Collegii curam Cæſar Specianus Novarienſis Epiſcopus, & poſt alterum alter Auguſtinus Cuſanus, & Flaminius Plattus Romanæ Eccleſiæ Cardinales, donec Urbanus VIII. provinciam hanc Mediolani Archiepiſcopis in perpetua tempora demandaret.

Lites deinde, & certamina exorta, quæ ſemper opulentas hæreditates, & teſtamenta divitum comitantur. Finitimi Aſconenſibus Populi trahere ad ſe ſe Collegii jura conabantur, & mortuum jampridem Pappium per ſophiſmata, clamoreſque Cauſidicorum conſentanea conatibus loqui cogebant. His publico judicio rejectis, aliud cum ipſis judicibus certamen fuit. Poſtquam enim humaniores literas in Collegio didicerant, utriuſque Philoſophiæ, Juris prudentiæ, ac Medicæ artis ſtudia proponebantur Alumnis, ut eo denique operam verterent, quo ſua quemque utilitas, aut ingenium vocaret. Itaque in exteras Civitates, & peregrina gymnaſia paſſim dilabebantur, Collegii vectigalia, & annuam proventuum partem quocum-

que

que pergerent ſecum trahentes. Quod cum Romæ eſſet auditum, cenſuere Patres præter Conditoris voluntatem fieri, nec ullum in alimenta jus eſſe Adoleſcentibus, qui extra illud Aſconenſe domicilium morarentur. Ea ſententia perculſi provocavere ad Summum Pontificem, cujus nutu, cognita iterum Mediolani cauſa, tenuere, ut nihil ex priſtina conſuetudine adverſa opinio detraheret. Ea vero ratione nitebantur, quod neque juvenum in eas artes tendentium deſideria fraudari par erat, neque tot artium magiſtros alere Collegium poterat, quin juventuti ipſi omnia fermo alimenta ſubducerentur. Ita denique parta Collegio quies, quæ ſæpe ex altercationibus, diſſidiiſque, velut ex tempeſtate ſerenitas, rebus humanis exoritur.

Cæterum poſt illud Urbani decretum, de quo antea diximus, primus omnium Federicus Borromæus, poſteaquam id quoque negotii inter Paſtorales curas acceperat, formare Alumnorum mores, & communis vitæ præcepta de integro condere eſt aggreſſus. Ante hoc tempus regebantur omnia illorum arbitrio, quos ſupremi Adminiſtratores ei curæ præfecerant, atque, ut ſemper diverſa ſunt hominum ingenia, ita inconſtans, & diverſa ſemper forma regiminis erat. Intolerabile hoc Cardinali viſum, qui optime noſſet nullius familiæ felicitatem ſine certis legibus poſſe conſiſtere. Itaque Aſconam profectus, ut ſingula prius ex propinquo diſpiceret, rationes, & inſtituta, quibus in miniſterio quiſque ſuo uteretur, pro ut hodie manent, accurate deſcripſit. Ex eo tempore interior admini-

ſtratio

ſtratio Collegii ad Oblatos devenit, juſſuſque in primis Sodalitii Præpoſitus diligenter inſpicere, ne quid ea res detrimenti caperet. Docentium ſedulitas, & diſciplinæ fama, quæ duo ad nobilitanda ejuſmodi loca plurimum valent, excivere illico finitimas gentes ut liberos ſuos ad perdiſcenda pietatis, & eloquentiæ præcepta ei Collegio traderent. Locarnenſes præſertim, aliique Verbani lacus accolæ, quin etiam ex Lucano, Larioque quamplures primordia inde ſcientiarum accipiunt, & nonnulli perſæpe inter Sodales numerantur, quorum avi, atavique tyrocinium literarum in eo domicilio poſuere. Duodeni ex indigenis Pappii hæreditate, advenæ parentum ſumptibus aluntur, paribus utrinque ad virtutem ſtimulis, ne alii Conditoris beneficio, alii Domeſticorum amore abuti per Socordiam velint. Sed cum ſemper indigenæ vix paucitate ſua notabiles fuerint, dubitari non poteſt, quin celebritas omnis ex advenarum frequentia proveniat. Qua de re non ita Majores noſtros male meritos puto, ut Oblatorum nomen diſplicere iis Regionibus poſſit. Nam præter labores, & ſtudia, quibus initia rerum conſtitui, & propagari Collegii famam oportuit, quidquid utilitatis ex eo contubernalium concurſu percipi potuit ad loci magnificentiam contulere. Stat hodie digna literis ſedes, majeſtate, & deliciis inter ornamenta Reipublicæ, vicinarumque Alpium aſperitatem diluens aſpectu ſuo. Quin etiam ex Sodalitio noſtro nonnulli fuere, qui pro modo facultatum ſuarum creſcentem quotidie dignitatem benignis donationibus augere

cona-

conarentur. Sane Oliverius Mazuchellus præclaris muneribus in Eccleſia noſtra perfunctus, cum ſibi hæredem deſignaret, ſexcentos amplius florenos Aſconenſi Collegio numerari mandavit; eoque exemplo Dominicus Feriolus Somæ illuſtri Oppido Sacrorum Antiſtes egregie uſus eſt, legatis in eandem cauſam trecentis aureis nummis, & dimidia librorum parte, quibus inſtructam domi bibliothecam habebat. Quorum ego hominum nomina in re tam parva commemorare erubeſcerem, niſi compertum haberem, beneficia magis ex liberalitate conſilii, quam ex eorum utilitatibus æſtimari. Fuit enim ingenii vere liberalis, quod Viri nec admodum divites, neque Aſconenſibus ulla terrarum, aut gentis ſocietate conjuncti eam tamen Reipublicæ partem ita dilexerint, ut cum propinquis, ac nepotibus ſuis bonorum ſuorum participem eſſe voluerint. Repetebant ſcilicet animo nocturnum illud S. Caroli iter, languoreſque corporis ultimos, quibus Collegium ſteterat, atque adeo cenſuere divitiarum partem in ejus operis dignitate honeſtiſſime collocari, cui tanti nominis Præſul glorioſiſſimæ vitæ reliquias impendiſſet. Me quoque juvat, poſtquam extremum Caroli opus attigerim, ad propoſitæ narrationis finem deflectere, ut magna illa Parentis Optimi in rebus agendis ſollicitudo, & meus iſte in exponendis ſcribendi labor eodem termino conquieſcat.

De Collegio, ſive Domicilio Gorlæ Minoris.

CAP. X.

IMmatura D. Caroli mors, etſi graviſſime Rempublicam univerſam, gravius tamen Oblatos, quam ullam aliam Reipublicæ partem affecerat. Vix ab exortu Sodalitii ſeptimus agebatur annus, nutabant, ut in principiis, omnia, luctuſque, & conſternatio inter Sodales erat qualis parente amiſſo inter liberos, nondum compoſito familiæ ſtatu, eſſe ſolet. Illas per agrum Mediolanenſem Colonias, illa deſignata in Urbe domicilia ſibi erepta uno ictu deflebant; oblitique eorum, quæ ſe accepturos ſperaverant, ſatis proſpere ſecum agi rebantur, ſi modo accepta retinerent. Augebant dolorem paucitas ipſa, & anguſtæ opes, extenuante omnia magnitudine Urbis, & comparatione clariſſimorum Ordinum, quæ novi Ordinis initia vix notari a Civibus ſinerent. Ita neque divitiis, neque numero præſtantes, inſidiis etiam undique circumventi, & infenſa eorum auctoritate, quorum opera juvari debuiſſent, ſtetere tamen in noſtra uſque tempora, eo certiore ſanctiſſimi Conditoris patrocinio, quo propiores periculo fuerint. Illud notatu dignum eſt, quod in tanta tenuitate rerum eum tamen

ro-

rogandi pudorem perpetuo retinuerint, quem a natura ipſa ingenitum hominibus factioſi tamen, & potentiæ cupidi inertiæ nomine appellant. Non terere Nobilium limina, non captioſis illecebris divitum animis obrepere, non obtentu pietatis prædas agere Majoribus unquam noſtris in uſu fuit; nec ullus hactenus inventus eſt, qui inſpecto Genitoris, aut Patrui teſtamento Oblatorum nomen maledictis inceſſeret. Nec tamen defuere clariſſimi Viri, qui ſpontaneo quodam pietatis ſenſu res noſtras aſpicerent, &, prout Divina voluntas daret, augere conarentur. Quibus, etſi magna ex parte irrita liberalitas fuerit, gratiam aliquam referri his literis decet, eorumque beneficentiam ex animo magis, quam ex eventu æſtimari.

Primus omnium Alphonſus Litta S. R. E. Cardinalis, itemque Mediolani Archiepiſcopus, cum matura Nepotum ætate nullum adhuc in paterna domo conjugium videret, ſpemque prolis incertam quotidie fieri animadverteret, poſt Nepotes ipſos quandocumque abſq; liberis deceſſiſſent, S. Sepulcri Domum hæredem appellavit. Verſo deinde in publicæ paupertatis miſericordiam animo, hæreditatis jura ad Mediolanenſe Noſocomium tranſtulit, cum ea cautione, ut ducenos aureos nummos Oblati ex eadem hæreditate quotannis in perpetuum acciperent. Sed longe aliter, quam timuerat evênit, data poſt ejus mortem Littarum Domui Sponſa, quæ ſenectutem mariti inſperata fæcunditate ſolaretur, & partas Majorum virtutibus opes in eadem Domo retineret.

Ex Teſtamento recepto per Carol. Cadolinum 1674.

Ex Teſtamento recepto per Vincentiũ Caſtilio naũ 1643.

Pari beneficentia nobiſcum egerat Hieronymus Porrus, vir notæ in Urbe nobilitatis, ſanxeratque ultima voluntate, ut, ſi familiam ſuam, quemadmodum indicia erant, penitus interire ſuperi decreviſſent, quidquid ipſe jurium haberet ad Oblatos deveniret. Sacerdotes in primis quotquot alere hæreditas poſſet in paternam ejus domum ſuccedere jubebat, atque in proxima S. Victoris Æde, cui ab Theatro nomen eſt, ſacris faciundis, audiendiſque præſertim peccatorum confeſſionibus operam dare. Sed hæc quoque præclara ad memoriam nominis vana ad exitum fecit ſecuta inde proles; amiſſæque ſpei ſolatium fuit ſervata Viri progenies, qui tam benevolum erga nos animum gereret.

Quodam denique caſu evênit, ut, ſcribentibus iſta nobis, vir alius vita decederet, cujus memoriam excitare his literis deberemus. Franciſcus Pionius Mediolanenſis Sacerdos, honeſto loco natus, cum ſterile fratris conjugium, & fratrem ipſum ſenio prope confectum videret, interiore quodam pietatis ſenſu agebatur, ut partem aliquam gloriæ humanis honoribus clariorem ex occaſu ipſo familiæ caperet. Tranquillum vitæ genus in Urbe ſibi elegerat, nullo publico munere implicitus, paterniſque bonis abunde contentus; quæ ipſe ſibi modeſte utendo commodiora fecerat. Quod ſi aliquando ruris deſiderium inter urbanos tumultus obreperet, paratam a Majoribus domum Caſorati habebat; eaque occaſio ſaluberrimi conſilii fuit. Nam cum hæredem ſibi incerta adhuc cogitatione

per-

perquireret, optimum denique omnium duxit domum hanc ipſam in Collegium vertere, & cum reliqua patrimonii parte tradere Sacerdotibus, qui loci incolas, & confluentem ex finitimis pagis Populi multitudinem Cœleſtibus myſteriis excolerent. Quanquam enim plura inibi Sacerdotia occurrebant offerendis Sacrificiis, ſive pſalmodiæ exercendæ antiquitus inſtituta, animarum tamen curam uno in capite collocatam videbat, cujus omnis quantacunque ſollicitudo incolarum neceſſitatibus, quorum ingentem numerum regionis fertilitas alit, longe eſſet inferior. Pulcherrimum igitur fore apparebat addere auxilia religioni, ne in tanta opulentia cæterarum rerum felicitatis publicæ pars præcipua deficeret. Anno milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſeptimo cum ea cogitatione Mediolanum reverſus, cum in morbum incidiſſet, teſtamento condito, quidquid ipſe jure ſuo teneret Sacerdotes Oblatos habere juſſit; hæ conditiones fuere. *In ædibus meis Caſorati Collegium conſtituant, quotidie ad aras pro ſalute Pioniæ gentis rem divinam faciant, numerum eorum, qui illuc mittendi erunt, Mediolani Archiepiſcopus, habita hæreditatis ratione, definiat.* Conſignatis in hanc ſententiam tabulis, paucas poſt horas expiravit, ut hactenus compreſſa vis morbi videretur, ne tam honeſti conſilii exitum interciperet. Secuturas deinde utilitates, & incrementa Collegii narrabunt alii, quos ad ea propius inſpicienda immaturior ætas reſervat. Mihi ſatis fuit initia rei tradere, & hanc gratiarum partem rependere Viro, qui Oblatorum operam tam piis deſideriis idoneam judicaverit.

At

At hujus benevolentiæ jam pridem exempla dederat digna ſplendore ſui generis Jo: Andreas Terzagus, haud quidem nobiliora iis, quæ antea retuli, cæterum eventu pleniora, reſpondente affatim humanis conſiliis Superum voluntate. Prædia ſatis ampla, domoſque Gorlæ minoris habebat, ſed liberi deerant, qui avitos proventus, & commoda divitiarum chariora facerent. Itaque, mortua Lucretia Caſtillionæa ſororis ejus filia, omnique inſuper Lucretiæ ſobole extincta, vacua poſſeſſoribus bona occupavere Oblati, prout ipſe teſtamento mandaverat. Sed & pacta, legeſque teſtamento adjecerat, quæ ſatis oſtenderent vectigalia illa, & annuos fructus non ad rerum modo noſtrarum, verum etiam pietatis, & literarum incrementa referri. Sic enim in tabulis per Gulielmum Puricellum receptis ſcriptum erat. *Oblati, quoties ad capeſſenda hæreditatis jura vocabuntur, Gorlam adeant; ibi tres ex eorum numero Sacerdotes in S. Mauritii Sacello rem divinam quotidie faciant, indigenarum pueros pietatis, & literarum rudimentis inſtituant; Dominicis diebus, qui in ſolemne jejuniorum tempus incurrunt, concionem in Æde S. Laurentii ad populum habeant.* Hæc in obſequium clariſſimi Viri ſevere a Majoribus cuſtodita digniorem in modum extulit poſterior ætas ſupra quam ipſe cogitaret. Nam, cum omnis docendi labor unius tantum agreſtis Pagi commoda reſpiceret, pertæſi qui in eam provinciā mittebantur moleſta illa balbutientis literaturæ initia, & interruptam pecoris cuſtodia librorum curam, ad nobiliora ſtudia invitavere finitimos, ſi qui prolem ſuam rite educari, atque humanioribus diſcipli-

nis

nis inſtitui vellent. Ad ea invitamenta mire congruebat opportunitas loci, ut nulla ejuſmodi res inchoari meliori ſpe, aut ſanctiore conſilio videretur. Vicus eſt depreſſam leniter vallem ex alto deſpiciens, quam Olona flumen nunc multiplici alveo, nunc in unum coeuntibus aquis interluit. Nemoroſi, vitiferique ex adverſo colles aſſurgunt, Vallis ima herbarum veſtitu, & proceris arboribus nitent, quas perennis humor errantibus paſſim rivis ad utilitates hominum, & delicias alit. Parte alia Regio in planitiem extenditur, frugum omnis generis ferax, nulli ſecunda ſalubritate aeris, quæ tantum ad fovenda literarum ſtudia momenti affert. Spem vero longe majorem fecerant finitima præclari nominis Oppida, aliique complures Pagi, quos circa utramque fluminis oram ſecuta naturæ genium antiquitas excitavit. Nec ſane conſilia ad irritum cecidere. Ad primum rei nuntium confluxere illico ex proximis Municipiis adoleſcentes, quibus inter diſciplinæ incommoda, ſtudiorumque curas ingens ſolatium erat, quod in patrio veluti ſolo procul tamen a Patriæ periculis morarentur. Manante inde latius fama, venere alii ex longinquis Provinciæ finibus, non pauci etiam Mediolano miſſi, quos amænitas loci relictæ Urbis tædere non ſineret. Ita paulatim res in celebritatem, & formam Collegii venit, vario identidem Alumnorum numero, prout inter belli, paciſque viciſſitudines varia fortuna temporum foret. Quod cum Franciſcus Saxius Sodalitii noſtri Antiſtes, vir ſane de literis optime meritus animadverteret, omni ope adniten-

tendum putavit, ne quidquam augendæ dignitati, aut capiendæ multitudini deeſſet. Pars antiquarum ædium æquata ſolo, idque datum Largitoris memoriæ, ne nova moles alibi, quam ex ipſarum ædium veſtigiis aſſurgeret. Eminent hodie, ubi in privatos uſus humiles cellæ fuerant, erecta in ſublime conclavia, rudimentaque alia urbanæ magnificentiæ, penſatura aliquando majeſtate ſua operis tarditatem. Magnis certe ſumptibus ea ſtetere ædificia, quibus extruendis, cum impar hæreditas eſſet, depromptæ ex S. Sepulcri Domo pecuniæ, quæ Domicilii nomen, & monumenta ipſa hæreditatis ſplendidiora facerent. Licebat utique bonis liberaliter datis per quietem uti, nec ultra labores, aut expenſas extendere, quam teſtamenti tabulæ poſtularent. Sed multo præclarius viſum Majoribus noſtris, ex beneficiis, quæ acciperent, illuſtrandæ Reipublicæ occaſionem arripere, atque exemplum dare poſteris, quidquid ex piorum hominum voluntate Oblatorum rebus accederet, haud inutiliter collocari.

De Dignitate, & Utilitate Congregationis.

Caput Ultimum.

ANtequam extremam hanc operis partem aggrediar diluendam mihi aliquorum accuſationem intelligo, qui titulum ipſum altius intumeſcere exiſtiment, quam modeſtiæ lex, aut ſcribentis de rebus ſuis conditio ferat. Sed hoc conſilium meum ambitionis crimine facile abſolvent, ſi quod initio præfatus ſum, memoria tenebunt, hanc videlicet ſcribendi curam ad Conſodales noſtros tantummodo pertinere. Quos ego, dum nomina Utilitatis, Dignitatiſque commemoro, haud aliter affici velim, quam ne gloriam a Majoribus partam amittant, aut Eccleſiæ Mediolanenſi, cujus commoda procurare ſummis conatibus debent, tædio laboris, & inopia virtutum inutiles fiant. In ea inſuper tempora incidiſſe me ſentio, ut, ſi decora nominis noſtri paulo luculentius explicarim, id non captandi honoris libidine, ſed defendendi neceſſitate feciſſe videar. Nam neque hodie deſunt antiquæ malevolentiæ, ſive dicacitatis æmulatores, qui plus ſplendoris, & commodi, nos ex Republica capere conquerantur, quam ex ſtudiis, officiiſque noſtris Reſpublica ipſa percipiat. Sapienter autem a M. Tullio dictum eſt, non ſolum arrogantis eſſe, ſed etiam omnino diſſoluti negligere, quod de ſe quiſque ſentiat. *Lib. 1. de offic.*

 Utinam

Utinam vero in nobis ipſis omnis injuriæ vis, ac turpitudo deficeret. Sed ii parum animadvertunt, quidquid in Oblatorum nomen effutiunt, id omne ad Conditoris optimi contumeliam referri, cujus ſe ſe memoriam revereri, cultoreſque eſſe diligentiſſimos affirmant. Idipſum enim quod ſumus, miniſteria, quibus fungimur, inſtituta, domus, vectigalia, quibus ad vitam utimur, ex quo denique omnia niſi ex Viri prudentiſſimi voluntate, ac conſilio provenerunt. Equidem ſi, ut liberi parentibus, ita Societates hominum auctoribus ſuis recte gloriantur, paucos admodum invenient hoc genere laudis nobiſcum poſſe conferri. Congregationem enim, de qua tam demiſſe ſentiunt, ex ea mente natam intelligent, ex qua renatam ſalutem Urbis, Chriſtiani Populi diſciplinam, Orthodoxæ Fidei ſecuritatem confitentur. Illud etiam ſibi proponere debebunt, nullam aliam extare ſacrorum hominum ſocietatem, quæ ex eadem mente, unde omnia ferme tuendæ Religionis conſilia prodiere, originem ſuam, & perpetuas communis vitæ leges acceperit. Quo magis miror fuiſſe aliquando nonnullos, qui hanc Patris amantiſſimi Prolem, non modo ipſi chariſſimam, verum etiam unicam e Republica tollere conarentur.

Sed cum in hac parte firmiter ſtare me crederem, ſubvereri potius cœpi, ne, cum originis claritatem inficiari non poſſent, degeneres animos, atque a paternis virtutibus alienos objicerent. Fuit enim hæc ſemper obtrectatorum conſuetudo conviciorum initia ab ipſis laudibus capere, ſacrorumque hominum Ordines comparare fluminibus, quæ pellucidis fontibus orta lutulento perſæpe

alveo

alveo decurrunt. Gratiæ tamen Mediolanenſibus Archiepiſcopis, quin & Summorum Pontificum memoriæ habendæ ſunt, quod largitate beneficiorum hanc de nobis opinionem procul abeſſe voluerunt. Omitto lituos, & infulas ſplendida honoris inſignia, eoque ſplendidiora in hominibus noſtris, quo longius ab ejus ſplendoris cupiditate receſſerant. In hac ipſa vero Mediolanenſi Eccleſia, cujus ambitu, terminiſque concludimur, quod honoris nomen invenient, ex quo non aliqua Sodalibus noſtris pars æſtimationis acceſſerit? Fulſere quamplures in primario Urbis Templo conchiliatis inſignibus, eaſque ut plurimum occupavere ſedes, quibus adjunctum aliud munus Tituli dignitatem ingeminat. Supremum ſane Pœnitentiæ tribunal ex Oblatorum Cætu aliquis fere ſemper obtinuit, ex quo etiam non pauci numerantur in ampliſſimo illo totius Inſubriæ Conſeſſu antehabiti cæteris Theologorum nomine, & loco. Præfecturarum Urbis, quæ & multæ, & clariſſimæ ſunt, nulla tam alte eminet, qua Sodales eoſdem priſca, vel recens ætas indignos judicaverit. Alii Canonicorum Collegiis, alii forenſibus miniſteriis præpoſiti, alii ex paucis delecti, qui Sacerdotum moribus, quive Sacrarum Virginum Aſceteriis vicaria auctoritate proſpicerent.

Par fere memoria ſequitur ex Urbe dimiſſos ad regenda Oppida, quorum aliqua in hiſce Mediolanenſium terris Urbium ſpeciem æmulantur. Quorum etſi & illuſtribus titulis, & multitudine ipſa delector, malim tamen eorum incommoda, laboreſq; perpendi; nec quantum auctoritatis in Republica habuerint, ſed quantum

oneris pro Republica tulerint æſtimari. Nec enim temere dixerim, magnam curarum partem, quibus res Ambroſiana nititur, in eos incumbere, qui nobilioribus Municipiis haud aliter præſunt, quam ut remota ab urbanis Magiſtratibus loca pro commiſſa ſibi poteſtate tueantur. Qua de re monendi hoc loco fuerunt, qui ad augendam invidiam, omiſſa officiorum ſollicitudine, opulentos tantummodo proventus, & ſpecioſa inſignia commemorant, tanquam ampliora Reipublicæ commoda inertibus, otioſiſq; tribuantur, qua nulla major injuria fieri virtuti poteſt.

Quod ſi qui noſtrum in aſſequendis honoribus deſideria fortaſſe multorum impediunt, in eos denique omnis accuſatio redundat, quorum auctoritate, & nutu ad munia quæque deligimur. Nam, cum cæteris omnibus ad quærenda Sacerdotia liber aditus pateat, nobis ne oblata quidem accipere licet, niſi Archiepiſcopi conſenſus acceſſerit. Quamobrem ſi qui ex hac parte obtrectandi occaſionem arripiunt alterutrum fateantur neceſſe eſt, aut nimirum iniquos fuiſſe, qui tam ſplendida munera Oblatis conferrent, aut non indignos fuiſſe, qui acciperent.

Libet præterea rogare quinam illi ſint, quorum adeo ſive honoribus, ſive utilitatibus iraſcuntur. Delectos certe videbunt ex florentiſſima Seminarii juventute, probatos utriuſque Philoſophiæ ſtudiis, excellenti ut plurimum ingenio præditos, aliiſque naturæ donis, qualia ex Conditoris decreto ineſſe iis oportet, qui cooptari in Oblatorum Collegium velint. His donis inſtructi, ornatique, ſi extra Collegium in paternis quiſque ædibus remanſiſſent, haud tamen dubium erat quin primarias in Repu-

blica

Republica ſedes aſſequerentur; nec erat quærelæ locus ſi ſtudio ſcientiarum, & ingenio præſtantes auctoritate quoque, & Titulis eminerent. Nunc poſtquam Oblatorum nomen, & munia ſuſcepere, tanquam omni jure amiſſo, alieni juris perturbatores appellantur, ut paulo altius collocari ſine aliquorum indignatione, & querela non poſſint. Illud igitur in culpa eſt, quod domeſtico otio relicto, ſeveriorem hanc vitæ rationem elegerint, publicæ utilitati ſemper addicti, atque omnia ſerme, quibus Sacerdotale munus continetur, laborum genera perſerentes.

Piget tamen, pudetque ejuſmodi accuſationibus refellendis diutius immorari, quas ipſa auctorum levitas nullius ponderis eſſe declarat. Sapientum certe virorum hæc querela eſſe non poteſt, quippe cum freti ingenio, & virtutibus ſuis, ſub juſto præſertim Præſulum noſtrorum Pontificatu, de conſentanea ſibi mercede non dubitent, neque ullius concurſum in petendis honoribus reformident. Ab aliquibus ergo profecta putari debet, qui cereis alis ad ſublimiora tendentes aliena injuria dejecti videri volunt unde conſilii ſui temeritate deciderint. Quæ ſi ita ſunt, non confutandi argumentis, ſed amice monendi erant, ut vel aliorum honores æquiore animo ferant, vel demum ita ſe gerant ut præferri cæteris mereantur.

Nec ſecus audiendi ſunt, qui ad evertendam totius Ordinis dignitatem triſtes quorundam exitus, & decepta a nonullis Sodalitii vota commemorant, quaſi ulla ſub cœlo ſit tam beata tellus, in qua omnes arbores æquis faſtigiis, & pari fœcunditate adoleſcant. Superba atq; amens

iſta ſeveritas eſt, quæ Collegia ſacrorum hominum ob degeneres aliquorum mores publici dedecoris pœna condemnat. Ab hac autem ſeveritate tam longe receſſere Archiepiſcopi Mediolanenſes, ut malevolorum criminationes haud aliter, quam perpetuo erga res noſtras favore confutarint. Privilegiis equidem, & honoribus, quibus in hanc diem utimur, adeo nihil detractum eſſe voluerunt, ut novis inſuper donis antiqua decora cumularent. Sacroſanctam illam, & in remedium humanæ infirmitatis relictam a Chriſto Domino poteſtatem, quæ occultorum criminum laqueis devinctos abſolvit, cum reliqui Sacerdotes certo locorum, ac temporis ſpatio definitam accipiant, tam amplã Oblatis D. Carolus attribuit, quanta amplitudo Mediolanenſis Eccleſiæ foret. Et ſane par erat, ut quos Archiepiſcopi Adjutores appellaverat, eorum operam eo uſque extendi pateretur, quo uſque Archiepiſcopi ipſius cura, & auctoritas perveniret. Ea vero facultas, cum vel ætate obſoleſceret, vel nimia fortaſſe aliquibus videretur, Cæſaris Montii Cardinalis decreto confirmata in noſtra uſque tempora perſeverat.

Etiam Federicus Vicecomes pro conjunctiſſimis ſibi Oblatos haberi voluit, ſtatuto videlicet, ne quis in loca, vel res eorum præter Archiepiſcopum ipſum inquireret. Extant literæ Buſti Arſitii datæ, quibus, cum ipſe gravioribus curis implicitus Joſephum Valvaſſorium ad viſitanda Gorlæ minoris loca dimiſiſſet, cautum eſſe voluit, ne immunitati noſtræ viſitationis ejus exemplum officeret.

At Federicus Borromæus, cum a Clemente VIII. Pontifice Max. conſtituendi regiminis, cujus nondum

abſo-

abſoluta forma erat, facultatem accepiſſet, ne ulla unquam perturbatio in ipſo regimine oriretur, legem tulit hujuſmodi. *Ne ſede vacante Eccleſiæ Metropolitanæ Capitulo quicquam innovare liceat, quod hujus Congregationis ſtatum attingat, neque aliquid decernere, aut jam decretum abrogare, neque ejus conſtitutionibus derogare, neve miniſtros amovere, vel mutare, vel novos creare, nec quicquam demum novi agere, quod ad ullam hujus Congregationis immutationem pertineat.* Hæc Cardinalis, qui de perpetua Sodalitii felicitate ſolicitus ſpem certam habere ſe ajebat, ſucceſſuros ſemper in Mediolanenſi Pontificatu, qui & Sodalitium ipſum, & ejus Præpoſitum paterno amore, & pro modo jurium ſuorum omni ſtudio tuerentur.

Conſtitut. Cap. XIV.

Conſtitut. Cap. I.

Nec ſpem ab illo benigne conceptam fefellit exitus, favente Cœlo tanti viri deſideriis, ſeu potius ipſo favente e Cœlis ejus Ordinis incolumitati, quem in terris vivens tam eximia charitate dilexerat. Præpoſiti certe, quorum auctoritate regimur præcipuo ſemper in honore habiti ſunt, atque in omni fere conſultatione de graviſſimis Eccleſiæ rebus audiuntur. Et quamquam ea lex eſt, ut biennio elapſo, gradu moveantur, tamen ob laudabiliter geſta poſteriorum temporum uſus obtinuit, ut non aliter, quam ſplendidiore titulo ornati Magiſtratu decedant. Hæc per ſe nota Urbi aliquando effecere, ut nonnulli Civium præcipua inter cæteros nobilitate, & ſapientia, cum hæreditatis ſuæ partem in pios uſus erogari voluiſſent, exequendæ rei curam S. Sepulcri Præpoſito in perpetua tempora demandarent. Bartholomæus Areſius in primis,

qui

qui Patrum memoria Supremum in Mediolanenſi Senatu locum obtinuit, veritus, ne in re graviſſima, quam antea conſtituerat, poſt mortem ſuam injuria aliqua veritati fieret, Oblatorum Præpoſitum inter Judices nominavit. Pari ferme conſilio uſi ſunt Hannibal Vicecomes, Carolus Landrianus, Federicus Lanfrancus, Carolus Zanattus, aliique, vocato ſcilicet Præpoſito eodem in jura eligendi Sacerdotis, cui annuos reditus ad rem Divinam faciendam certis conditionibus aſſignaverant. Noviſſime vero Helena Vicecomes Borromæa miſerta nobilium fœminarum, quæ poſt mariti jacturam paupertatis inſuper onere premerentur, quatuor ex earum numero quotannis deligi teſtamento mandavit, quarum ſingulæ ex ejus hæreditate centum aureos nummos acciperent. At prudenter ſollicita, ne, ut ſæpe fit, ſolatia miſeriarum mendax aliqua egeſtas, aut callidior interpretatio interciperet, conditionem adjecit, ut illæ ſolummodo beneficæ voluntatis participes fierent, quas Oblatorum Præpoſitus eo ſubſidio dignas judicaret. Sed hæc, atque alia ejuſmodi vix notabilia videri poterant in conſpectu duorum Cardinalium, qui Ambroſiano Pontificatu, & vita decedentes teſtamenti tabulas ejuſdem fidei præſidio firmari voluerunt. Hi fuere Federicus Caccia, & Joſeph Archintus, quorum ille hæreditatem omnem ſuam in pauperum alimenta convertit, hic partis honeſte opibus illuſtre Sacerdotium in familia ſua conſtituit, quo facilius poſteri ad ſupremos Eccleſiæ gradus per Majorum exempla, ſimul & auxilia pervenirent.

Ego

Ego vero ita ſentio, ex iis, quæ hactenus dicta ſunt non modo gloriam eorum, qui nobis præfuerunt poſſe deprehendi, verum etiam laudatores quoſdam temporis acti facile confutari, qui ſeveriorem illam vivendi rationem a Majoribus traditam noviſſimis hiſce temporibus intermiſſam criminantur. Qui enim exiſtimem, Principes viros, atque adeo de Reipublicæ incolumitate ſollicitos tantum ſpei in illorum integritate habituros, ſub quorum regimine, & cura ſalutaris diſciplinæ pars aliqua concidiſſet? Reſtat ergo, ut, cum dignitati ſatis conſultum alieno beneficio fuerit, pauca in medium afferantur de Inſtituti utilitate, quam tamen magis ſummorum hominum teſtimoniis, quam argumentis, & ratione defendam. Jampridem enim in hoc judicium vocati ſumus, & niſi cœleſte auxilium ex inſperato affuiſſet, prope erat, ut nominis noſtri memoria penitus interiret. De re autem tota ex jam vulgatis annalibus eo libentius referam, ne favore partium ſubduxiſſe aliquid, aut adjeciſſe videar.

Religioſi cujuſdam Ordinis Viri Mediolani erant, nuper in Urbem inducti, atque adeo amplificandæ poteſtatis paulo cupidiores, quam profeſſos modeſtiæ præcepta, & morum innocentiam deceret. Summa votorum erat ex Ædibus S. Sepulcri exturbare Oblatos, quo facilius, arce veluti capta, cætera occuparent. Augebat deſiderium opportunitas loci; ſeque felices fore ominabantur ſi modo ſedem figerent in meditullio Civitatis, cujus obſequia, & opes ſibi jam animo deſtinabant. Regebat eo tempore Eccleſiam univerſam Sixtus V., & acri

Franciſc. Rivola in vita Card. Feder. Borromæi lib. II. cap. 8.

acri Pontifex ingenio, quem facile quilibet in ſententiam adduceret ubi de promovendo Chriſtianæ Fidei cultu, aut reformandis ſacrorum hominum moribus ageretur. Huic igitur, ſimulata in doloris ſpeciem oratione ſignificant, eſſe Mediolani paucorum hominum Collegium, quos S. Carolus Borromæus tanquam exempla Sacerdotalis diſciplinæ in media luce, atque oculis Civium collocarit. At miſerabile dictu eſſe quantum a ſanctiſſimi Viri deſideriis, inſtitutiſque illorum vita receſſerit. Fieri negligenter omnia, langueſcere ſtudia pietatis, ſolitudinem in Templo eſſe, de nulla denique re minus cogitari, quam de illius Eccleſiæ commodis, cui ſe ſe inanibus verbis devoviſſent. Nec vero ſpem ullam ſupereſſe, redituros aliquando ad Majorum veſtigia, a quibus tam longe aberraverint. Adeo certe exaruiſſe primævæ virtutis ſemina, ut ne inpoſterum quidem fructum aliquem inde expectare Mediolanenſi Populo liceat. Per ſegnitiem interim exhauriri deſtinata honeſtis laboribus vectigalia, quæ ſi Apoſtolica auctoritate ſibi tribuantur brevi facturos, ut Sacrorum cultus, & ſtudia publicæ ſalutis ſub ejus Sepulcri nomine reviviſcant.

Commoverat Pontificem fucata honeſtiſſimis verbis oratio, intus doloſa, & fallax, & prorſus oblita veritatis, quæ labia Sacerdotum, & Pontificis aures deceret. Sed jam extrema meditantem retinebat aut immiſſa divinitus mens, aut formido aliqua, ne pronior ad credendum videretur, quo ſæpe vitio Principes ad iniqua, & abſurda prolabuntur. Manavere interim indicia fraudis, nec tantum ſedulitatis ad ſua defendenda Majoribus noſtris

defuit,

deſuit, quantum aliis ad parandas inſidias calliditatis, & audaciæ ſuerat. Federicus Borromæus, cujus ego nominis utcumque ſæpius iterata repetitione delector, paulo antea Cardinalium numero adſcriptus Romæ morabatur, intentus in omnia ſtudiorum genera, quibus Principum animi ad magnæ fortunæ cultum excitantur. Is, ubi nequiſſimæ conſpirationis ſeriem intellexit, exarſit illico pia quadam indignatione, fœdum utrumque ratus ſive calumniis violarentur immeriti, ſive aliquis commoda, & honores ex fingendi licentia referret. Noverat apprime Oblatorum mores jam inde a puero S. Sepulcri Ædibus aſſuetus, crebroque in Templum, & cellas acceſſu, quoties aut publicis intereſſe concionibus, aut ſecretis colloquiis excolere animum placeret. Itaque, cum Summum Pontificem conveniſſet, exorſus ab ipſa Congregationis origine cœpit exponere quæ rationes, quæve conſilia D. Carolum permoviſſent, ut Eccleſiam ſibi commiſſam hoc præſertim Sodalitio communiret. Prodire inde præſtantes pietate, & doctrina viros, parata ſemper auxilia ad omnes fere neceſſitates, quæ in tantæ Provinciæ adminiſtrationem incurrunt. Inde Rectores Collegiis juvenum, inde Magiſtros dari; nec fere ab aliis accepiſſe documenta religionis, & initia literarum quotquot in Ambroſiana Eccleſia ſacro aliquo honore præfulgeant. Ejuſdem Inſtituti homines eſſe, qui animarum Paſtoribus morte ſublatis, vicariam operam populis exhibeant, pios ubique conventus habeant, Urbis & agreſtium locorum Templa circumeant, ne addiſcendis Chriſtianæ Fidei præceptis

conſtitutæ leges temporis, aut hominum vitio conſeneſcant. Ad S. Sepulcri Ædem, quæ Caput Sodalitii ſit, Civium concurſus aſſidue fieri prout alii diluere ſecretas conſcientiæ labes, alii ſalutaria monita audire, vel ſanctioribus uti myſteriis velint. Interiora Domus piorum hominum Societatibus occupari, qui deſignatis in ſingula Sacella Sacerdotibus vix ullam temporis partem officio vacuam relinquant. Admoneri ſe ſe conſcientiæ ſtimulis, & inſita erga Patriam charitate, ut in tanto diſcrimine opem aliquam ferat Oblatorum nomini, quod nimirum pro certo ſciat, abſque gravi Civium ſuorum incommodo perire non poſſe. Hæc ille cum ingenti ſpiritu peroraſſet, conſignata literis, & libello comprehenſa Pontifici tradit, quo maturius capita ſententiarum, & totius cauſæ momenta ſecum ipſe conferret.

Commode accidit, ut quamvis commoto animo Pontifex nihil tamen in præſentia decerneret, ne quis mutaſſe conſilium ſubitaneo quodam erga Cardinalem favore ſuſpicaretur. At ubi dubiorum caliginem ſedula meditatio diſcuſſit, tum manifeſtius noſſe pericula credulitatis, damnare peſſimas delatorum artes, iraſci ſuperbis cupiditatibus, quæ ſacros etiam homines in prava conſilia, & inſanos errores abducant. Itaque rejectis in perpetuum accuſatoribus ſevere denuntiat, ne ulterius laceſſere Oblatorum famam malignis ſermonibus audeant, quos ipſe non modo omnis culpæ expertes, verum etiam optime de Republica meritos agnoſcat. Hæc fuere officia Cardinalis, reſponſa Pontificis, quæ renovari quæſtionem ſine pudore non ſinant jamdiu definitam tanto præ-

ſertim

ſertim Judice, ac Teſte. Nam cum omnia noſtra eodem loco maneant, aut eandem manere ſententiam oportet, aut homines inveniri, quorum alter plus fidei in teſtimonio ferendo, alter in judicando plus auctoritatis habeat.

Sed neque tunc erant utilitates aliæ, quas ex Oblatorum laboribus, ſtudiiſque poſterior ætas accepit. Jam excurrere in Pagos, atque Oppida, & quouſq; patent Provinciæ fines Divini Verbi beneficia circumferre rarior aliquanto reserat, nempe cum paucitas ipſa domeſticis oneribus ægre ſufficeret. Nunc tota paſſim Regione de rebus æternis ſermones audiuntur, ſelecto e nobis piorum hominum Cœtu, qui, nulla commodorum ſuorum ratione habita, præclarum illud Apoſtolicæ charitatis munus exerceant. Etiam ſtudia ſcientiarum ex publicis ſcholis eo tempore petebantur, neque in partem curarum, quas a nobis eccleſiaſticæ juventutis educatio poſtulat, perpetuus iſte docendi labor accellerat. Nunc dati ex Oblatorum Sodalitio Magiſtri quotidiana illa divagandi incommoda, alioſque ſimul errores ſuſtulere, queis longius aliqui ab inſtituti formula, quam ab ædium terminis recedebant. Nam, ſive conſuetudo ipſa Præceptoribus ſuis conciliaret Alumnorum animos, ſive aliqua incautæ ætatis deceptio erat, transfugia paſſim a præſtantioribus fieri ſolita Summorum Pontificum literæ declarant. Ita, remotis omnibus, per quæ alienari adoleſcentum ingenia poterant, mutuo quodam proventu literaria res agitur, cum videlicet alii diſcendi commodis, alii docendi neceſſitate proficiant. Ex eo ſane magiſterio præſtantes ſcientia viros Archiepiſcopi Mediolanenſes accepere, quorum opera inter multiplices Pontificii muneris curas uterentur. Nam illud quoque viden-

dendum eſt, an ex hoc hominum genere, in quorum officia inquirimus, quidquam utilitatis, & commodi Archiepiſcopis noſtris ad rem publicam gerendam obveniat.

Non ego de ſtudiis noſtris tam ſuperbe ſentio, ut ea veluti ponam inter fundamenta Reipublicæ, præſertim ſi magnis auxiliis comparentur, quibus neceſſe ſit tanti regiminis molem ſuſtineri. Sunt in hac principe Inſubrum Urbe Cœnobia præcipuæ nobilitatis, referta graviſſimis Viris, nota Civibus ſapientiæ domicilia, quæ clariſſimorum quoque Ordinum, nedum unius tam parvi Sodalitii, nomen obterant majeſtate ſua. Sunt & Collegia Canonicorum, pluresque in iis egregia indole Sacerdotes, qui popularibus ſuis doctrina ſimul, & vitæ integritate præluceant. Sed hæc atque alia ejuſmodi auxilia D. Caroli ætas habebat, & nova ipſe adſciverat ſibi, cum nihil ſanandis Populi moribus intentatum omitteret. Nec tamen omnia efficere potuerunt, ut quieto interim animo ageret, ſeque ad obeunda Pontificatus ſui munera ſatis inſtructum judicaret. Nimirum in tanta Sacerdotum multitudine neminem adhuc invenerat, quem Archiepiſcopi juſſa exequi, atque ad omnia mandata præſto eſſe ſingularis aliqua inſtituti ratio cogeret. Itaque inter diverſas Paſtoralis officii viciſſitudines Cœnobitarum clauſtra adiri neceſſe erat, idque ſemper invito animo fecerat, tanquam turbato Religionis ordine monaſticæ vitæ addictos in aliena inſtituta traduceret. Argumento ſunt datæ ad Philippum Nerium literæ, quibus enixe rogabat, ut ſibi ad ferenda Pontificatus onera, velut in ſumma auxiliorum inopia, ſubveniret. Mitteret aliquos ex eo Sodalitio, quod nuper Romæ condiderat,

Jacobus Riccius in vita S. Philippi Nerii lib. 11. cap. 21.

derat, probatæ ſapientiæ Viros; nec ſpem in eo præſidio, atque ejus benevolentia collocatam eluderet. Futuros ſibi quos mitteret filiorum loco; nec multum intereſſe, Romæ, an Mediolani agant, quippe cum nulli domicilio adſtricti nihil denique niſi parem ubique gentium amplificandæ religionis gloriam proſequantur. Ad ea Nerius reſcripſit, neque placere ſibi ancipites hoſce ſuorum diſceſſus, neque ſi vellet quenquam eorum in præſentia poſſe dimitti. Ratione ſiquidem ipſa prohiberi, ne juniores ab incœpto dimoveat, matura vero ætate quos haberet, neceſſariis familiæ ſuæ negotiis ægre ſufficere. Haud abhorret a vero quod multi credidere, perculſum eo reſponſo Cardinalem tunc primum ſedulo cogitaſſe quomodo Sibi, ac Succeſſoribus ſuis intolerabilem illam cuilibet ingenuo, nedum Principi viro demeret, rogandi neceſſitatem. Indecorum putabat tantæ Eccleſiæ Præſulem precariis ſemper auxiliis indigere, ac toties debitorem fieri, quoties aliquem ſibi ad miniſteria Pontificatus aſſumeret. Id vero probrum, ſive potius Paſtoralis officii impedimentum tollere viſus eſt, conſtituta hominum Societate, qui, cum omnia Archiepiſcopi mandata diligenter impleverint, nihil denique ſe feciſſe intelligant præter ea quæ debeant. Sane, cum hujuſmodi homines officii ſui admoneret, nihil eorum, omiſit, quæ perpetuis temporibus in hujus Eccleſiæ adminiſtrationem inciderent. Scripturas interpretari, conciones in Urbe, atque agreſtibus locis habere, Eccleſiaſticas functiones obire, animarum curam ſuſcipere, erudire pauperes, præeſſe Collegiis, inſtituere juventutem, & ſi quid aliud Sacerdotale munus amplectitur omnia Oblatis impoſita, *Inſtit. lib. 1. cap. 4.*

quos

quos nempe dicatos Ambroſianæ Eccleſiæ utilitatibus nomine ipſo indicari voluiſſet. Quin & inſigne aliud voluntatis ſuæ teſtimonium dederat, cum forenſibus miniſteriis caſte, integreque obeundis documenta, legeſque deſcriberet. *Pluris, inquit, refert eos & alios omnes hujus Eccleſiæ Miniſtros in omni munere eſſe ex iis, qui ex Congregatione Oblatorum S. Ambroſii ſe ſe perpetuo obſequio, & miniſterio, ac obedientiæ Archiepiſcoporum pro tempore hujus Eccleſiæ obtulerunt, & addixerunt.* Quod niſi immutabili Divinæ Providentiæ lege ſtatutum eſſet, ut tam cito terris eriperetur, non ea nunc eſſet Oblatorum paucitas, quam ſcilicet aliqui rerum momenta plebejo more metientes maligne aſpernantur. Alias domos, alia Collegia in Urbe excitare propoſitum erat, aliiſque proventibus depellere paupertatem, quam neceſſario paucitas ipſa conſequitur. Quæ, cum a ſe ipſo præſtari non poſſe interiore quadam proximæ mortis divinatione animadverteret, illa eadem ſuadere poſteris viſus eſt, minime ſuaſurus niſi rei utilitas honeſtatem conſilii comprobaret. Verum, utcumque ea res habeat, abſurdum, & fallax judicii genus eſt quanti æſtimari Societates hominum debeant numerando experiri. Ego certe bene nobiſcum agi ab adverſariis intelligam, ſi, cum in ſtudia noſtra, & labores inſpexerint, nihil ad implenda ſanctiſſimi Conditoris vota, præter multitudinem, deeſſe fateantur. Id vero ut eveniat Deum Optimum Maximum enixe precor, ad cujus laudem proſpera ſimul, atque adverſa demiſſe, ac patienter referre parati ſumus.

Actor. Eccl. Mediol. parte 4.

Inſtitut. lib. 11. cap. 2.

FINIS.

BRIEVE RISPOSTA

AD UNA DIGRESSIONE FATTA

DA UN PADRE ANONIMO

Della V. Congregazione de' Cherici Regolari
di S. Paolo

NELLA VITA

DEL B. ALESSANDRO SAULI

Nuovamente ſtampata in Milano da Pietro Franceſco Malateſta 27. Maggio 1741.

Giorni ſono mi venne alle mani la vita del B. Aleſſandro Sauli ſcritta in compendio da un Padre Anonimo della V. Congregazione de'Cherici Regolari di S. Paolo, ſtampata in Milano queſt'anno 1741. da Pietro Franceſco Malateſta, ed alla pagina 85. vi notai una digreſſione, in cui detto Padre m'incolpa di *tre groſiſ-*

ſiſſimi sbaglj, come da me preſi nel libro intitolato *De origine, & progreſſu Congregationis Oblatorum SS. Ambroſii, & Caroli Mediolani*; il primo de' quali ſia l'aver detto, che il P. Carlo Beſcapè, che fù poi Veſcovo di Novara, foſſe già Obblato prima di eſſere Barnabita; il ſecondo, che foſſe ancora Obblato, quando paſsò in Iſpagna, per giuſtificare preſſo di quel Monarca la condotta di S. Carlo Borromeo; il terzo, ch'ei ſi faceſſe Barnabita dopo la morte di eſſo Santo.

Mi rincreſce il dire, che li due ultimi sbaglj, de' quali mi accuſa il detto Padre Anonimo, non ſi fondano in altro, che in un groſſiſſimo sbaglio da lui preſo nell'interpretare le mie parole; Onde più toſto voglio attribuire l'accuſa fattami alla poca grazia, ch'io ebbi in iſpiegare i miei concetti. Per far conoſcere le virtù del P. Beſcapè io eſpoſi bensì ciò, che fece in Iſpagna in favore del Santo Borromeo; ma non diſſi già mai, che in quel tempo egli foſſe Obblato. Trovando poſcia, che, quantunque foſſe già Barnabita, lo avea S. Carlo con l'aſſenſo de' lui Superiori richiamato preſſo di ſe, e novamente aggregato alla ſua famiglia, diſſi, che dopo la morte del Santo era paſſato a vivere incognito trà Cherici ſuoi fratelli con l'animo alieno dalle coſe mondane, e queſto diſſi per far vedere la lui modeſtia totalmente lontana dal cercare le preminenze del Grado paſtorale, che poi ottenne, nel che non credo eſſermi allontanato dal vero. Ma ſopra queſti due punti io non mi ſtendo di più; perocchè poco, o nulla importano al mio propoſito.

L'in-

L'intenzione mia principale fù di onorar le memorie della mia Congregazione con far ſapere al Pubblico, ch'ella una volta fù madre di sì gran figlio; al che appunto poco, o nulla rileva, ch'ei foſſe tale in un tempo più, che in un'altro. La gloria del Beſcapè non conſiſte nella miſſione in Iſpagna materialmente conſiderata; bensì conſiſte nella prudenza, nella dottrina, nella pietà, in ſomma nelle altre doti, con cui gli uomini grandi illuſtrano il loro Iſtituto, e per cui da S. Carlo fù giudicato idoneo ad una miſſione di tal rilievo. Ora di queſte belle qualità perſonali poſſo ben credere andaſſe adorno il Beſcapè anche quando viſſe tra' noſtri, e tanto più, che fra l'eſſere accettato tra noi, e l'eſſere Barnabita non vi fù grand'intervallo di tempo. Il punto ſtà nel vedere, ſe veramente Egli foſſe Obblato, o non lo foſſe; nel che appunto non voglio attenermi ad altra autorità, che a quella del medeſimo Beſcapè, come più certa, ed irrefragabile.

Nella Vita, ch'egli ſcriſſe di S. Carlo Borromeo, ſtampata in Breſcia l'anno 1602., nel capitolo ſecondo del libro quinto, primieramente mi deſcrive il Beſcapè, che coſa ſia la Congregazione degli Obblati giuſta l'idea del Santiſſimo Fondatore, e mi dice eſſer ella una Società di Sacerdoti, *qui cœnobiticæ diſciplinæ imitatione viventes Eccleſiæ Mediolanenſi multò magis quàm cæteri Clerici mancipati, Archiepiſcopoq; addicti ſacra munera, quæ pro tempore, uſuq; Eccleſiæ oporteret, prompto animo ex Archiepiſcopali juſſu obirent*. Accenna poi la ragione per cui tali Sacerdoti ſi chiamaſſero Obblati, e ſpecialmente il voto

dell'ubbidienza, con cui ſi obbligano al volere dell' Arciveſcovo nel ſervigio di queſta Chieſa Milaneſe. Ora ſe il Beſcapè ſi aggregaſſe al numero di tali Sacerdoti, e in conſeguenza foſſe vero Obblato, udiamolo da lui ſteſſo. *In eum numerum*, ecco le ſue preciſe parole: *in eum numerum plures Canonici una cum aliis Presbyteris, & Clericis nomen dedimus*. Di qual numero, o Società eſſo parli, lo dichiara ad evidenza il conteſto, e ſolo reſta a vedere, come ſi debbano intender quelle parole *nomen dedimus*.

Se pure anche in ciò non prendo un groſſiſſimo sbaglio, tutti gli Scrittori latini diedero ſempre a queſto modo di dire il ſignificato di *arrolarſi*, *o ſia aggregarſi* a qualche Società, ed un tal termine di ſpiegarſi lo preſer' eſſi dal modo, in cui gli antichi Romani ſi arrolavano alla milizia, il che faceaſi con dar il nome a' Magiſtrati deſtinati a tal effetto. Ciò chiaramente ſi può vedere negli Storici latini, e maſſimamente in Tito Livio, che più degli altri ſcriſſe diffuſamente le coſe di Roma. Ma ſenza andar sì lontano vediamo, qual ſenſo diaſi a queſta fraſe dal medeſimo Beſcapè. Racconta egli, come teſtimonio di preſenza, che S. Carlo ſempre più deſideroſo d'imprimer ne' ſuoi Obblati il zelo delle anime ſoleva andar ogni giorno in perſona al Seminario della Canonica, per ivi eſercitare in ſante meditazioni alcuni Cherici, che di freſco ſi erano applicati a queſto nuovo Iſtituto. Ora vediamo come egli ſpiega l'elezion dello ſtato fatta da queſti Giovani. *Multos ejus Collegii clericos, qui nomen*

nomen

men in Oblatorum ſocietatem dederant advocaſſe, *ſententias ex Evangelio ſelectas*, *quæ ad rem maxime valerent tradidiſſe &c.* (lib. 7. cap. 23.) Si oſſervi adunque coſa quì ſpieghi il *Nomen in Oblatorum ſocietatem dederant*, e ſi vedrà come debba intenderſi il Beſcapè quando diſſe *In eum numerum plures Canonici una cum aliis Presbyteris, & Clericis nomen dedimus*.

Anzi ſi oſſervi di più, che quelle parole *una cum aliis Presbyteris*, *& Clericis* importano una ſocietà, o ſia uniformità di azione, ſicchè dinotano chiaramente, che il Beſcapè fece lo ſteſſo che fecero altri Cherici, e Sacerdoti: Or egli è certo che queſti Cherici, e Sacerdoti ſi aggregarono veramente all'Iſtituto, altrimenti verremo a dire, che S. Carlo iſtituì una Congregazione di Obblati, i quali in verità non ſi fecero Obblati.

Che ſe al riverito mio Avverſario cadeſſe in mente, il che non credo, di aſſerire, che il Beſcapè ſi offerì all'Iſtituto, di cui ſi parla, ma non fù accettato; in primo luogo dimanderei ſopra di qual fondamento poſſa appoggiarſi queſta nuova opinione; indi lo pregherei oſſervar nel capitolo ſovracitato ciò, che ſcriva il Beſcapè parlando del luogo in cui S. Carlo iſtituì la mia Congregazione. *In ea igitur Eccleſia*, così egli dice, *In ea igitur Eccleſia* (cioè nella Chieſa di S. Sepolcro) *ſocietatem actis intervenientibus inſtituit XVII. calend. Septembris*, *& primos ſe ſe offerentes celebri ritu, apparatuq; recepit*. Da queſte poche parole ne traggo un diſcorſo, che non mi ſembra fuor di ragione. I primi che ſi offerirono alla profeſſione di Obblati, furono, al dire del Beſcapè, ſolennemente accettati; il Beſcapè, come egli ſteſſo confeſſa,

feſſa, non ſolo fù de' primi ad offerirſi, ma di più, al dire del P. Chieſa ſcrittore della lui vita, (lib. 1. cap 6.) traſſe ſeco col ſuo eſempio molti altri Canonici, e Sacerdoti; e perchè dunque non debbo credere, ch' egli reſtaſſe con gli altri ſolennemente accettato? In fatti io trovo ne primi atti della mia Congregazione, che molti Signori Canonici Ordinarj della Metropolitana, uno de' quali era il Beſcapè, furono de' primi ad eſſere ricevuti; e ciò tanto è vero, che uno d'eſſi cioè Girolamo d'Arabia fù dopo qualche tempo creato Prepoſto Generale di eſſa Congregazione.

Oſſervo finalmente, che, quando il Beſcapè ſcriſſe la vita di S. Carlo, era di già, ſe non erro, Prepoſito Generale della Ven. Congregazione de' Cherici Regolari di S. Paolo. Ora trovandoſi in grado sì riguardevole, coſa occorreva, ch'egli faceſſe memoria d'eſſerſi già offerito ad un Iſtituto diverſo, ſe in fatti non lo abbracciò? Qual motivo potè egli avere di regiſtrar ne' ſuoi ſcritti un eſibizione, la qual non ebbe alcun effetto? Certamente, a mio parere, ſembra incredibile, che un uomo di sì gran ſenno voleſſe con pubbliche ſtampe notificare alla poſterità d'aver dato il ſuo nome ad un Iſtituto, in cui o non poteſſe, o non voleſſe eſſere accettato.

Ciò preſuppoſto, poco mi preme quell' argomento dedotto dalla cronologia tenuto forſe dal mio Avverſario per invincibile. Il Padre Chieſa, dice egli, autore quaſi contemporaneo aſſeriſce, che il Beſcapè preſe l'abito di Barnabita alli 14. di Marzo l'anno

1578.,

1578., dunque non potè farſi allievo d'una Congregazione, che non fù eretta, ſe non nel meſe di Agoſto dello ſteſſo anno. A queſto argomento io ne contrappongo un altro fatto ſulla medeſima ſtampa, e dico così. Il P. Beſcapè mi atteſta d'aver dato il ſuo nome ad una Congregazione che non fù eretta ſe non nel meſe di Agoſto dell'anno 1578., dunque non potè prendere l'abito di Barnabita alli 14. di Marzo dello ſteſſo anno. L'argomento dell' Avverſario ſi appoggia all'autorità del P. Chieſa, il mio s'appoggia all' atteſtato del medeſimo Beſcapè; or qual de due merita maggior fede?

Molto meno mi danno faſtidio il Ripamonti, ed il Giuſſano citati contro di me: poichè ſebbene queſti Scrittori inteſi nel ſenſo più naturale mi dicono che il Beſcapè foſſe Barnabita, quando fù ſpedito in Iſpagna il che, come diſſi fin da principio, nè io niego, nè molto importa al mio propoſito; in niun luogo però mi dicono, ch'egli non foſſe Obblato prima di eſſere Barnabita.

Per altro, quando al detto mio Avverſario riuſciſſe toglier di mezzo queſte difficoltà con quei certiſſimi documenti, che dice aver raccolti già da gran tempo, ſtia pur certo, ch'io non ricuſo arrendermi al lui parere; sì perchè godo, che la verità trionfi ſopra degli sbaglj, cui tutti ſiamo ſoggetti; sì perchè sò che la mia Congregazione ama piu toſto di comparire poveramente veſtita, che di abbigliarſi pompoſamente con altrui piume.

L'aſſicu-

L'aſſicuro di più, che di qualunque replica egli faccia, io ne laſcierò tutto il giudizio al Pubblico, ſenza impegnarmi in ulteriori riſpoſte, non avend'io altra premura ſe non di fare a tutti conoſcere, che, quando annoverai trà gli Obblati il Padre Carlo Beſcapè, non lo feci nè per un cieco capriccio, nè per vana ambizione; ma bensì moſſo dalle ragioni qui brevemente accennate.

IN MILANO, Per gli Eredi di Giuſeppe Agnelli. 1741.
Con licenza de' Superiori.

3 0112 098224139